

REGVLA
ET CONSTITVTIONES
Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ.

PROOEMIVM.

AVſculta ô fili præcepta Magiſtri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij Patris libenter excipe, & efficaciter comple, vt ad eum per obedientiæ laborē redeas, à quo per inobedientiæ deſidiam receſſeras. Ad te ergò nunc meus ſermo dirigitur, quiſquis abrenuncians proprijs voluntatibus, Domino Chriſto vero Regi militaturus. In primis, vt quicquid agendum inchoas boni, ab eo perfici inſtantiſſimâ oratione depoſcas, vt qui nos iam in Filiorum dignatus eſt numero computare, non debeat aliquando de malis actibus noſtris contriſtari. Ita enim ei omni tempore de bonis ſuis in nobis parendum eſt; vt non ſolum ut iratus Pater ſuos non aliquando filios exhæredet, ſed nec vt metuendus Dominus irritatus malis noſtris: vt nequiſſimos ſeruos perpetuam tradat ad pœnam, qui eum noluerint ſequi ad gloriam.

Exurgamus tandem aliquando, excitante nos ſcripturâ ac dicente: Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, *& apertis oculis ad Deificum lumen attentis auribus audiamus, diuina quo-*

tidie clamans: quid nos admoneat vox? dicens: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. *Et iterum* qui habet aures audiendi audiat, *quid Spiritus dicat Ecclesijs, & quid dicitur*; Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos. Currite dum lumen vitæ habetis, nè tenebræ mortis vos comprehendant. *Et quærens Dominus in multitudine Populi sui, cui hæc clamat, operarium suum, iterum dicit.* Quis est homo, qui vult vitam, & cupit dies videre bonos? *Quod si tu audiens respondeas*: Ego; *dicit tibi Deus.* Si vis habere veram, & perpetuam vitam, prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum: Diuerte à malo, & fac bonum inquire pacem, & sequere eam, & cum hæc feceritis, oculi mei super vos, & aures meæ ad preces vestras, & antequam me inuocetis, dicam. Ecce adsum. *Quid dulcius nobis hac voce Domini invitantis nos Fratres charissimi. Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitæ.*

Succinctis ergo fide, vel obseruantiâ bonorum actuum lumbis nostris, & calceatis in præparatione Euangelij pacis pedibus, pergamus itinera eius, vt mereamur eum, qui nos vocauit, in Regno suo videre. In cuius Regni tabernaculo si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus curredo, minimè peruenitur. Sed interrogemus cum Propheta Dominum, dicentes: Domine quis habitabit in Tabernaculo tuo; aut quis requiescet in monte Sancto tuo? *Post hanc interrogationem Fratres audiamus Dominum respondentem.* Qui ingreditur sinè macula, & operatur iustitiam. Qui loquitur veritatem in corde suo; qui non egit dolum in lingua sua. Qui non fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit

ad-

aduersus proximum suum. *Qui malignum Diabolum aliqua suadentem sibi, cum ipsa suasione sua à conspectibus cordis sui respuens deduxit ad nihilum, & parvulos cogitatus eius tenuit, & allidit ad Christum.*

Qui timent Dominum, de bona obseruantia sua non se reddunt elatos, sed ipsa in se bona non à se posse, sed à Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant, illud cum Propheta dicentes: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, *sicut nec Paulus Apostolus de prædicatione sua sibi aliquid imputauit, dicens:* Gratiâ Dei sum, id quod sum, & iterum ipse dicit. Qui gloriatur, in Domino glorietur: *Vnde, & Dominus in Euangelio ait.* Qui audit verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro sapienti, qui ædificauit Domum suam supra petram. *Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in Domum illam, & non cecidit, quia fundata erat suprà petram. Hæc complens Dominus, expectat quotidie, his suis Sanctis monitis, factis nos respondere debere. Ideò nobis propter emendationem malorum huius vitæ dies ad inducias relaxantur, dicente Apostolo:* An nescis, quia patientia Dei, ad pænitentiam te adducit? *Nam prius Dominus dicit*, Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat. *Cum ergò interrogassemus Dominum, Fratres, de habitatore Tabernaculi eius, audiuimus habitandi præceptum. Sed si compleamus habitatoris officium, erimus hæredes Regni Cælorum. Ergò præparanda sunt corda, & corpora Sanctæ præceptorum obedientiæ militatura, & quod minus habet in nobis natura possibile, rogemus Dominum, vt gratiæ suæ tribuat nobis adiutorium ministrari. Et si fugientes gehennæ pænas, ad vitam volumus peruenire*

perpetuam dum adhuc vacat, & in hoc corpore sumus: Et hæc omnia per hanc lucis vitam vacat implere, currendum, & agendum est modo, quod in perpetuum nobis expediat. Constituenda est ergò à nobis Dominici Schola seruitij, in qua institutione, nihil asperum, nihilque graue nos constituturos speramus. Sed & si quid paululum restrictius dictante æquitatis ratione propter emendationem vitiorum, vel conservationem charitatis processerit, non illico pauore perterritus refugias viam salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda. Processu verô conversationis, & fidei dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei, vt ab ipsius nunquam magisterio discedentes, in eius doctrina vsq; ad mortem in Monasterio perseuerantes, passionibus Christi per patientiam participemus, vt Regni eius mereamur esse consortes.



PRO-

PROOEMIVM Constitutionum.



Postquam Beatissimus Pater noster ROMVALDVS totius Camaldulensis Ordinis Fundator, Monasticam vitam, in Monasterio Classensi, tribus annis Sanctissimè traduxisset: Beatissimi BENEDICTI Regulam professus, Eremum subindè ingressus est; in qua nonaginta septem annis, incredibili vitæ austeritate vsus, solis Sanctitatis suæ exemplis, crebrisq; admonitionibus verum Eremiticum institutum se sequentibus dereliquit. Nec aliud quicquam eis scriptum, præter eandem Benedicti Regulam obseruandā moriens commendauit; Licet postmodum, nè labentibus annis, pia Patris exempla per obliuionem in desuetudinē venirent, sapienter ab ipsis discipulis, maximè á Beato RODVLPHO quarto, à B. ROMVALDO Eremi Priore, in Constitutiones redacta fuêre. Hoc autem Eremiticum Camaldulense institutum, ab ipso Ss. ROMVALDO diuinitus inventum, medium inter Cænobiticum, & Anachoreticum est; itá quidem vt vtriusque particeps vtroq; præstantius, longeq; securiús existat. Nam & si claustralis conuersatio vbiq; summis laudibus extollenda videatur, nihilominus tamen suis incommodis, molestisq; occupationibus, quæ sæpè animū á vera pietate longiùs arcent, minimè caret: è contra veró solitaria illa Eremitica vita, & cōversatio abdita, propter multa incōmoda, nec non peri-

cula, quæ humanæ naturæ corruptelâ, seu instabilitate, pati videbatur, minus tuta; securaq; reputata est. Jlla enim viuendi libertas, quæ olim solitarijs viris competere videbatur, quæ nec Ecclesiam inuisere, nec Sacramenta frequētare aliquo Canonico præcepto cogebatur, hodiè nobis per Ecclesiæ Sanctæ Constitutiones penitus prohibita est. Non potest igitur non esse laudanda nostra Camaldulensis Eremitica institutio, quæ non periculosa, nec ardua, difficilisq; sicut antiquitús anachoretica comperitur; sed potius omni periculo, extremaq; difficultate exclusis, securissima, facilis, ac fideli cuiq; viro suauissima, ac proindè (omni reuerentia, ac pace aliorum omnium institutorum) laudabilior, ac securior, cunctis meritò dici possit. Ad quam siuè ex sæculo, siuè ex cænobijs accedentes, procul omninô á Ciuitatibus, omnique hominum frequentia, sæcularium etiam consortio semoti, in montium recessibus, ac remotissimis locis commorantur. Qui tamen singuli, singulas separatas inuicem Cellas incolentes, paupertatis, obedientiæ, & castitatis votis solemniter emissis, sub regula; vt diximus S. BENEDICTI, subq; Prælati disciplina, sub tandem proprij Ordinis Constitutionibus, in iugi obseruantia viuere tenentur: sic nihilominus hanc conuersationis formam temperantes, vt Cænobiticæ, socialisq; vitæ commodis, & securitate, sinè varijs occupationibus Monasterij, multiplicibusq; distractionibus potiantur, & solitudinis læta, fæliciq; admodum tranquillitate, absq; vllis solitariæ vitæ curis, periculis, & anxietatibus perfruantur.

tur. Hæc itaq; admirabilis, diuinitusq; inspirata Eremitica institutio, ab ipso fundationis initio, vsq; ad præsentem diem per annos circiter 670. Fideliter discreto, ac Sancto vigore obseruata fuit in Sacra Eremo Camaldulensi, quæ in summitate Alpium Tusciæ, ab ipso Sanctissimo Patre nostro ROMUALDO circá Annum 1012. fundata extitit, & tandem ab Annis 144. á nostra Congregatione Eremitarum Camaldulensium S. ROMUALDI Montis Coronæ per Venerabilem Patrem Paulum Iustinianum Eremitam supradictæ Sacræ Eremi Maiorem, nouiter instituta, & aucta; fuit cum eadem obseruantia inuiolabili perseuerat, prout ex constitutionibus patebit, quas efformare intendimus, pro confirmatione, & augmento huius dictæ Congregationis. Restat deniq; vt nos iuxtà Patris nostri BENEDICTI doctrinam in Prologo Regulæ nobis traditæ, in Eremo, quæ nobis pro Monasterio est, vnanimes, quasi Apostolici viri, soli Deo enixè famulemur. Ita ut omnibus nobis vnum sit cor, & anima vna, in vinculo pacis, & charitatis viuentibus, sicq; demum in regulari, atq; Eremitica districtione, in finem vsq; perseuerantes, Socij possimus esse passionum Christi, vt & cohæredes facti conregnemus cum eo.



CON-

CONFIRMATIO

Constitutionum Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ in forma Specifica.

CLEMENS PP. IX.

Ad perpetuam rei memoriam.



N supremo militantis Ecclesiæ solio, meritis licet imparibus per ineffabilem Diuinæ bonitatis abundantiam constituti, Congregationes Religiosorum virorum pié, sanctéq; institutas, ac vberiores bonorum operum fructus aspirante superni fauoris auxilio, assiduè perferre satagentes, in visceribus paternæ gerimus charitatis, & illa quæ pro earum felici regimine & gubernio, prosperisque in via Domini progressibus providè, atq; sapienter constituta esse noscuntur, vt firma semper, atq; stabilia persistant, Apostolici muniminis patrocinio, cùm id á nobis petitur, libenter roboramus. Exponi siquidē nobis nuper fecerūt dilecti Filij Maior, ac Procurator Generalis, & alij superiores Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ, quod pro felici, prosperoq; eiusdem Congregationis regimine, & gubernio, illiusq; salubri tam in Spiritualibus, quám in temporalibus directione factæ fuerunt, & in vnum volumen collectæ nonnullæ Constitutiones, quæ per Congregationem venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotijs, & Consultationi-

bus

bus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitam, examinatæ, recognitæ, & correctæ ſunt tenoris, qui ſequitur videlicet.

DE GENERIBVS, ET VITA MONACHORVM,

CAP I.

Monachorum quatuor genera eſſe, Manifeſtum eſt. Pm. Cænobitarum, militans ſub Regula, vel Abbate.

Conſtitutio.

I. 
Remitę Camaldulenſes Congregationis Montis Coronę Clauſtris non includũtur, nec in Dormitorijs Monaſterij requieſcũt; in hoc enim differt Cęnobitica conuerſatio ab Eremitarum Camaldulenſium inſtituto, quod illa in vrbibus terris, interq;. Populi frequentiam libenter commoratur: hæc verò in Montibus, interq; nemora latitare congaudet. Quapropter maiorum noſtrorum veſtigia ſequentes ſtatuitur, noſtra Eremitoria ab vrbibus, Terriſq; vno ad minus milliario diſtare debere. Noſtriq; Eremitę nunquam in Clauſtris permaneant, excepta Abbatiâ S. Saluatoris de Monte Corona, pro ſenum, infirmorum ac forenſium ſolatio Imò ſi aliquando talis habitatio offeratur, niſi in formam Eremi reducta ſit, dimittatur, tantum abeſt, vt de nouo Monaſterium conſtrui queat, aut ſuſcipi.

2. Sint ergo Eremitoria nostra intèr Syluas, easq; densas, talesq; plantando, inserendo, scindendo, alijsq; opportunis modis conseruentur, & augeantur. Quāobrem intrâ ambitum Eremi non licebit ligna cædere, nè eius pulchritudo deturpetur. Qvi verò absq; superioris permissu aliquam arborē viridem inciderit, pro vna quaq; arbore semel in pane, & aqua ieiunet. Quod si loci Prior absq; cōsensu Capituli ipsius Eremi intrà ipsum ambitū arborum incisionem fieri iusserit, à visitatoribus, vel Capitulo Gñali, disciplinâ circulari plectatur, & tunc incisio Arborum intelligatur, quādo numerum quatuor, aut quinq; arborum excedit, & hoc toto sui Prioratus curriculo, quod sinè rationabili necessitate fieri nequit, dūmodo tamen non sint arbores, quæ loci venustatem, ac pulchritudinem vitient.

3. Sint insuper ædificia cum ambitu loci vniuerso sepe, ac vallo circumdata, ita vt per solum ostium pateat ingressus, vndè egredi sinè licentia Superioris nemo possit. Et positâ in Eremis clausura sinè licentia Capituli Generalis, augendo, vel minuendo nefas erit alterari.

4. Cellæ insuper non simul iunctæ, sed triginta plus, minusuè pedibus inuicem, si locus patiatur separatæ consistant, tantundem ab Ecclesia, & officinis semotæ.

5. Atque vt vera sit solitudo, omnis non necessaria hominum sæcularium familiaritas ab Eremitis nostris (charitate saluâ) arceatur. Adeò vt neq; vicini habitatores quocunq; prætextu in commune Commer-

cium

cium admittendi sint: ac præcipè cauendum, ne eis vnquam ad nos accedendi causa tribuatur. Ideò sæcularium negotijs, etiam consanguineorum nè se nostri immisceant, quod strictè prohibetur, nisi aliter faciendum iustis de causis, superior iudicauerit.

6. Minus etiam liceat Eremitis sæcularium Ecclesias frequentare, nec funeralibus, alijsq; officijs celebrandis interesse, sicq; animarum curam exercere illis penitus est interdictum. Præterea vbiq; locorum foris, & intra Eremum, atq; etiam in propria Cella, non solum corporales, sed etiam mentales diuagationes effugiant, quæ & solitudinis propositum, & omne Spirituale ædificium destruere solent. Quapropter Superiores valdè cauere debent, nè faciles sint in dimittendis subditis suis, sed necessitate cessante, intra Clausuram in iugi obseruantia eos retineant. Quin & ipsi nunquam foras, nisi coactè egrediantur.

7. Et ad maiorem solitudinis obseruantiam, nemini permissum censetur in alterius Cellam, officinamuè, nisi annuente Prælato intrare, sed ne caput quidem intus immittere, quæ prohibitio etiam ad hospites tùm religiosos, tùm sæculares extenditur, exceptis casibus incendij, infirmitatis, confessionis vel vrgentis cuiusq; necessitatis, quæ verisimiliter superioris animus ad talem concessionem movere potuisset.

8. Jlle vero, qui obtento consensu, vel alias fratrem allocuturus ad alterius Cellā accedit, pulsans, non aperiens, Deogratias altiusculè proferat, responsionem fratris illic immorantis patienter expectans, qui tamen

finè mora audita voce illico accurrere, & pari tenore respondere debet, & in ipsa anteriori parte Cellæ cum eo colloqui. In cubiculum autem, in quo dormitur nemini permittimur intrare, nisi in casibus supradictis. Qui autem præter hos casus introierit, vel qui alium intrare, permiserit, dicat culpam suam in Capitulo, & ieiunet semel in pane, & aqua, pro vnaquaq; transgressione. Qui verò in officinam ingressus fuerit, pitantiâ priuetur.

9. Et quia solitudo maximè fauet Castitati, ideò præcipitur nè nostris Eremis mulieres vnquam propinquare, nedum intrare ipsas possint; vndè ne ignorantia sit causa erroris, figantur Cruces ligneæ magnæ longè à Ianua, quas mulieres finè excommunicatione latæ sententiæ pertransire nequeunt, prout habetur ex priuilegio Pauli III. & Innocentij XI.

10. At Capitulum Generale ad populorum instantiam, iuxtà d. Priuilegium cuncedere potest vt semel, bis, aut ad summum ter in anno, iuxta d. Capituli nominationem, deuotionis causa possint mulieres solum Ecclesiam ingredi, Eremum autem nullo modo, neq; Sacrarium, eiusq; vestibulum, vbi per portas Eremitarum Cellulæ conspiciuntur, poterunt tamen ea hospitia ingredi, quibus introduci consueuêre. Alias autem talis prohibitio inuiolabiliter perseueret. At si pertinacia populi aliter peruicaciter prætendat, cui resisti honestè non possit, locum potius deserere, ac longius abire consulant Patres.

11. Strictè insuper prohibetur, ne nostri Eremitæ
mulier-

mulierculas regendas, confitendas, cuſtodiendaſuè ſuſcipiant. Imò nè illas quidem alloqui ſine ſocio aſtante poſſint; quarè ſi aliquis noſtrûm mulieres intrà Cruces venire permiſerit, aut in hoſpitijs, & domibus noſtrarum Grangiarum introduxerit, aut intrare permiſerit, vbi ſolent Eremitæ habitare, aut earum confeſſiones exceperint caſu neceſſitatis excepto, circulari diſciplina mulctetur. Monialium Eccleſias ne frequentent, nec in earum Eccleſijs ſinè debita licentia audeant celebrare.

Sequitur Regula.

DEindè ſecundum genus eſt Anachoretarum, ideſt Eremitarum, horum qui non conuerſionis feruore, initiò, ſed Monaſterij probatione diuturna, didicerunt contra Diabolum, multorum ſolatio iam docti, pugnare; & benè inſtructi fraterna ex acie ad ſingularem pugnam Eremi, ſecuri iam ſinè conſolatione alterius, ſola manu, vel brachio contra vitia carnis, vel cogitationum Deo auxiliante, pugnane ſufficiunt.

Tertium vero Monachorum teterrimum genus eſt Sarabattarum, qui nulla Regula approbati, experientia magiſtra, ſicut aurum fornacis, ſed plumbi natura molliti, adhuc operibus ſeruantes ſæculo fidem, mentiri Deo per tonſuram noſcuntur, qui bini, aut terni, aut certè ſinguli ſinè Paſtore, non Dominicis, ſed ſuis incluſi ſunt ouilibus, & pro lege eis eſt deſideriorum voluptas, cum quicquid putauerint,

rint, vel elegerint, hoc dicunt Sanctum, & quod noluerint hoc putant non licere.

Quartum verò genus est Monachorum, quod nominatur Gyrovagum, qui tota vita sua per diversas Provincias ternis, aut quaternis diebus per diversorum Cellas hospitantur, semper vagi, & nunquam stabiles, & proprijs voluptatibus, & gulæ illecebris seruientes, & per omnia deteriores Sarabaitis. De quorum omnium miserrima conversatione, melius est silere, quàm loqui. His ergo omissis, ad Cænobitarum fortissimum genus disponendum, adiuuante Deo veniamus.

Constitutio.

I. ALium viuendi modum Anachoretis consimilem diuinitus S. Pr. ROMUALDUS excogitauit, eorum scilicet, qui diuinâ inspiratione, maioriq; silentij, ac perfectionis desiderio, ad culmen veræ solitudinis pervenire anhelant. Hos autem, qui hanc vitæ austeritatem arripiunt, iam ab initio inclusos Patres nostri vocauerunt, eò quia voluntariè intra vnius Cellulæ, hortuliq; parietes, omni hominum consortio priuati, contineantur: Iuxta quod institutum hucusq; obseruatum, præcipitur, vt Eremitis professis, qui instanter talem petunt reclusionem, post quinquennium à professione emissa, concedi ad tempus, vel perpetuo possit, dummodo concedenti, & morum probitas, moresq;

reſq; religioſi innoteſcant,ſcilicet regularis obſeruantia, ſilentium, orationis feruor, aliæq; conſimiles virtutes petentis.

2. Auctoritas concedendi, ſi perpetua fuerit, vel ad plures annos Capitulo Generali reſeruatur. Nec ad longum tempus concedenda eſt, niſi ijs, qui pluries, aut ſaltem per annum eam experti fuerint: poterit tamen loci Prior alicui ex ſua Familia per annum ad ſummum concedere. At Prælatis Nouitiorum, Magiſtro, Sacriſtæ, ac Cellerario, in eorum Prælatura, & officijs perſiſtentibus, penitus interdicitur.

3. Jllæ Cellæ reputabuntur Recluſis, quæ remotiores ſunt ab alijs, quæ habeant oratorium cum ſuis ornamentis, ac paramentis ad celebrandum neceſſarijs, quarum hortuli parietibus ſint præcincti: cum hac tamen lege, quod Eremitæ recluſi, non ſecùs ac alij ſuorum ſuperiorum obedientiæ ſubiaceant; A quo voluntario carcere, nunquam exire debeant, ſed ſuperioribus, qui recluſionem conceſſerunt. Licitum ſemper erit illos ab ea penitus eximere ſiuè perpetua, ſiue fuerit temporalis.

4; Sciant autem recluſi perpetuum ſibi, inuiolabileq; ſilẽtium eſſe indictum, vnde illos quempiam alloqui, nec alloquentem audire valeant, ſinè expreſſa licentia ſcripta, & obſignata ſui ſuperioris, exceptis diebus D.Martini, ac Dominicæ Quinquageſimæ, in quibus recreationis, ac charitatis cauſa Coéremitarum ſemel tantum colloquia excipere, indulgetur.

5. Litteras ad Eremitas, alioſuè mittere, vel accipere

re nisi sciente Priore, illicitum prorsus erit. Si quis autem secùs fecerit, tam mittens, quàm recipiens, semel in pane, & aqua ieiunet.

6. Canonicas horas intrà oratorium suum persoluent, non ad beneplacitum, sed signum Campanæ communis, tam in diurnis, quàm in nocturnis laudibus obseruabunt, cum omnibus solitis cæremonijs & obseruantijs, quæ in istis constitutionibus, Breuiarijq; Rubricis continentur. In oratorio semper pallium gestent, & in ingressu semper se aquâ benedicta aspergant, ab ipsismet singulis Dominicis diebus, benedicenda, vel ab Ecclesia deferenda. Neque prætermittant Indulgentias nostræ Congregationis, & si quæ aliæ in suis oratorijs sint, lucrari. Feriâ quinta hebdomadæ Sanctæ, exeuntes, ad communem Ecclesiam accedant simul cum alijs communicaturi, refectioni, ac mandato præsentes futuri. Feriâ autem sexta, & Sabbato ad Nonam venientes, rem sacram cum cæteris audiant: reliquum omne tempus in reclusorio agentes, si inclusi Sacerdotes non fuerint, Sacerdotum inclusorum Missas audire, eisq; sacrificantibus deseruire, atq; ibi (permittente Prælato) communionem sumere poterunt.

8. Et quia Sanctum illud otium, sanctas desiderat occupationes, ideò singulis diebus, vltra ordinarium officium quinquaginta Psalmos Dauidicos recenseant, & lectionem quotidianam ante completorium numquam omittant; vltra quam, & alias lectiones, Eremitis apertis communes vnius horæ alicuius spiritualis libri lectionem persoluent. Eodem modo solitam

vni-

vnius horæ in mane, & serò diuisam, reclusi cum feruore Spiritus vtroq; tempore duplicabunt.

9. Demum, & victus rationem in hoc saltem ab alijs coerceant, vt præter solitas abstinentias, toto tempore Regularis ieiunij, sine alia licentia, singulis hebdomadis duplicare valeant. Quod si strictiùs, Deo fauente, viuere cupiunt, superioris assensum humiliter petant.

10. Ad placitū eorum calopodio, siue socculo aperto vti poterunt, ac pedibus nudis incedere, nec non Cilicium ad carnem mortificandam deferre. Qui ad tempus includuntur, actiuam vocem in Capitulo non habent; perpetui verò neq; actiuam, neq; passiuam.

Qualis debeat esse Abbas.

Cap. II.



Bbas, qui præesse dignus est in monasterijs, semper meminisse debet, quod dicitur, & nomen Maioris implere: Christi enim agere vices in Monasterio creditur, quando ipsius vocatur pronomine, dicente Apostolo, Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, *in quo clamamus Abba Pater. Ideoq; Abbas, nihil extra præceptum Domini (quod absit) debet docere, aut constituere, aut iubere, sed iussio eius, vel doctrina feruenter diuinæ Iustitiæ in Discipulorum mentibus conspergatur. Memor sit semper Abbas, quia doctrinæ suæ, vel discipulorum obedientiæ vtriusq; rei in tremendo Iudicio facienda erit discussio; sciatq; Abbas, culpæ Pastoris incumbere, quicquid in ouibus Pater familias vtilitatis minus poterit inuenire. Tantum iterum liber*

erit, vt si inquieto, vel inobedienti Gregi Pastoris fuerit omnis diligentia attributa; & morbidis earum actibus, vniuersa fuerit cura exhibita, Pastor earum in Iudicio Domini absolutus, dicat cum Propheta Domino. Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi. Ipsi autem contemnentes spreuerunt me. Et tunc demum inobedientibus curæ suæ ovibus pœna sit, eis prævalens ipsa mors. *Cum ergò aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis, idest omnia bona, & Sancta, factis amplius quàm verbis ostendere, vt capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat, duris verò corde, & simplicioribus, factis diuina præcepta demonstret. Omnia verò, quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis iudicet non agenda, ne alijs prædicans, ipse reprobus inueniatur, ne quando illi dicat Deus peccanti.* Quarè tu ennarras Iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te, & qui in fratris tui oculo festucam videbas; in tuo trabem non vidisti. *Non ab eo persona in Monasterio discernatur. Non vnus plus ametur, quàm alius, nisi quem in bonis actibus, aut obedientia inuenerit meliorem. Non præponatur ingenuus ex seruitio conuertenti, nisi aliqua rationabilis causa existat. Quod si ita (iustitiâ dictante) Abbati visum fuerit, de cuiuslibet ordine id faciat; sin aliter propria teneant loca. Quia siuè seruus, siuè liber, omnes in Christo vnum sumus, & sub vno Domino æqualem servitutis militiam baiulamus. Quia non est apud Deum personarum acceptio. Solùmodo in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores alijs in operibus bonis, & humiles inueniamur.*

Er-

Ergò æqualis ſit omnibus ab eo charitas, vna præbeatur omnibus ſecundum merita diſciplina. In doctrina namq; ſua Abbas Apoſtolicam debet illam ſemper formam ſeruare, quá dicit. Argue, obſecra, increpa, ideſt miſcens temporibus tēpora, terroribus blandimenta, dirum magiſtri, pium Patris oſtendat affectum. Ideſt indiſciplinatos & inquietos debet duriùs arguere; obedientes autem, & mites, & patientes, vt in melius proficiant obſecrare. Negligentes autem, & contemnentes, vt increpet, & corripiat, admonemus; neque diſſimulet peccata delinquentium, ſed mox, vt cæperint oriri, radicitus (ea, vt præualet) amputet, memor periculi Helij Sacerdotis de Silo: & honeſtiores quidem, atq; intelligibiles animos prima, vel ſecunda admonitione verbis corripiat Improbos autem, & duros, ac ſuperbos, uel inobedientes, verborum, vel corporis caſtigatione in ipſo initio peccati coerceat, ſciens ſcriptum. Stultus verbis non corrigitur, & iterum. Percute filium virgâ, & liberabis animam eius à morte. Meminiſſe debet ſemper Abbas, quod eſt, meminiſſe quod dicitur: & ſcire quia, cui plus committitur, plus ab eo exigitur; ſciatq; quàm difficilem, & arduam rem ſuſcepit regere animas, & multorum ſeruire moribus, & alium quidem blandimentis, alium veró increpationibus, alium ſuaſionibus, & ſecundum vniuſcuiuſque qualitatem, & intelligentiam ità ſe omnibus conformet, & aptet, vt non ſolum detrimenta gregis ſibi commiſſi non patiatur; verum & in augmentatione boni gregis gaudeat. Antè omnia nè diſſimulans, aut paruipendens ſalutem animarum ſibi commiſſarum, plus gerat ſollicitudinem de rebus tranſitorijs, & caducis, ſed ſemper cogitet, quia animas ſuſcepit regendas, de quibus & rationem redditurus eſt: Et nè cauſetur de

minori fortè substantia meminerit scriptum, Primum quærite Regnum Dei, & Iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis; *Et iterum*, nihil deest timentibus Deum; *Sciatq́ quia qui suscipit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam. Et quantum sub cura tua fratrum se habere sciuerit numerum, agnoscat pro certo, quia in die Iudicij ipsarum omnium animarum, est redditurus Domino rationem, sinè dubio, addita, & suæ animæ, & itá timens semper futuram discussionem Pastoris de creditis sibi ouibus, cum de alienis ratiocinijs cauet, redditur de suis sollicitus, & cum de admonitionibus suis emendationem alijs subministrat, ipse efficitur à vitijs emendatus.*

Constitutio.

1. IN Congregatione Eremitarum Camaldulensium Montis Coronę nec nomen, nec dignitas Abbatis vsui vnquam fuit; ideò loci nostræ Congregationis, non Abbatiæ, nec Monasteria, sed Eremi, & superiores non Abbates, sed Priores appellantur, atq; adeo supremus totius Congregationis Prælatus, Maioris sibi nomen vsurpauit, nec aliter vsui fuisse apud Eremitas, Camaldulenses dignoscitur, quamvis parum, aut nihil releuêt quo Prælatus nomine noncupetur, dummodo talis, qualis á S. Patris verbis circumscribitur, existat.

2. Sciant igitur Prælati ipsis traditam esse præsentem Sancti Patris doctrinam, quam, & si observare neglexerint, in tremēdo Dei Iudicio stricta fiet discussio. Quicunq; ergo alijs præfigitur, duplici doctrinâ, verbi

bi scilicet, & exempli, suos discipulos pro viribus instruere conetur, memor Apostolici dicti. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum.*

De adhibendis ad Concilium fratribus.

CAP: III.



Voties aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio, conuocet Abbas omnem Congregationem, & dicat ipse vndè agitur, & audiens consilium Fratrum, tractet apud se prudenter, & quod vtilius iudicauerit, faciat. Ideò autem omnes ad consilium vocari diximus, quia sæpe Iuniori Dominus reuelat, quod melius est. Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subiectione, vt non præsumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit, sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, & quod salubrius esse iudicauerit, ei cuncti obediant. Sed sicut discipulis conuenit obedire Magistro, ita & ipsum prouidè, & iustè condecet cuncta disponere. In omnibus igitur omnes Magistram sequantur regulam, neq; ab ea temerè declinetur à quoquam. Nullus in Monasterio proprij sequatur cordis voluntatem, neq; præsumat quisquam cum Abbate suo proteruè intra, aut extra Monasterium contendere. Quod si præsumpserit, regulari disciplinæ subiaceat. Ipse tamen Abbas cum timore Dei, & obseruatione Regulę omnia faciat, sciens se procul dubio de omnibus Iudicijs suis æquissimo Iudici Deo rationem redditurum. Si qua verò minora agenda sunt in Monasterij vtilitatibus, seniorum tantum vtatur consilio, sicut scriptum est. Omnia fac cum consilio, & post factum non pænitebit.

Constitutio.

1. Hæc conuocatio Congregationis, siuè Consilium vetustissima Religionis consuetudo obtinuit, vt Capitulum vocetur, & Congregationis hoc loco, vnius Monasterij, aut Religiosæ Domus Conuentus intelligitur. Capitulum autem, aut generale est, aut Conuentuale, aut certè (vt vocant) culparum, quorum vnum quodq; suum tractatum desiderat, cum singulorum diuersa sit congregandi causa, celebrãdiq; modus. Hic solum de Capitulo conuentuali sermo est.

2. Quoties ergò aliqua percipua tractanda sunt in Eremo, Prior ad sonum Campanulæ, vt moris est, quod signum ad spatium vnius Miserere protrahitur cum decem ictibus in fine, omnes vocales, qui Sacerdotes, & Clerici professi vnius anni eiusdem loci, ac familiæ tantum intelliguntur, nec non & Visitatores, vbi præsentes reperiantur, conuocet. Quibus convocatis, omnes genuflexi secretò dicant· *Pater noster*, & Prior dicat, *Et ne nos*, ℣ *Emitte Spiritum tuum*. *&c* ℣. *Domine exaudi &c. Dominus vobiscum &c.* cum suis responsorijs, & Orationem *Actiones nostras.* Prior postea rem, de qua deliberandum est (nisi maior præsens fuerit, ad quem suo Iure spectat,) distinctè proponat. Deindè matura cum consideratione, auditis singulorum votis per secreta suffragia, negotium terminetur. Omnes, seclusâ omni prorsus passione, modestè, ac mansuetè loquantur, prohibita omni practica sub pæna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ ad sex menses: Et quod àma-

à maiori parte approbatum fuerit, definitum, ac ratum habeatur, ac totum in libro actuum Capitularium registretur.

3. Nomine autem rerum præcipuarum, intelligūtur receptiones Nouitiorum, tàm ad probationem Quadragenariam, quàm ad habitus susceptionem ac professionem, incisionem lignorum intra Eremi ambitum faciendam, Conseruatoris, ac Medici electionem, Procuratorisq; sæcularis, & Aduocati, acceptare hæreditates, donationes, ac legata, quæ tamen renunciari minimè possunt, sine consensu Capituli Generalis: Quod si dictum Capitulum expectari non possit infra annum cum assensu Patrum Maioris, ac Visitatoris, aut Dietæ, renunciari licitè poterunt. Locationes etiam possessionum vltra annum, & quascunq; species alienationum, circa quas alienationes hæc omnia infra scripta omninò obseruentur; scilicet, proponantur primo in Capitulo Conuentuali, & à maiori parte decretum, ad Capitulum Generale postea deferatur, aut ad Dietam, aut infra annuum ad P. Maiorem & Visitatores, à quibus approbatum, & confirmatum, ad S. Sedem Romanam pro licentia recurratur, nec alienationis Instrumentum conficiatur antè assensum Apostolicum, vel si cum reseruatione d. Beneplaciti Apostolici fiat, non tradatur possessio antè dictum consensum.

4. Quod si quis quidpiam ex gestis in Capitulo, vndè odium, aut scandalum oriri possit, reuelauerit, disciplinâ circulari plectatur; si autem leue fuerit reuelatum, arbitrio Prioris puniatur. Quæ-

Quænam ſint Inſtrumenta bonorum operum.

CAP. IV.

INprimis Dominum Deum diligere ex toto corde, totâ anima, totá virtute, deinde proximum, tanquam ſe ipſum. Deinde non occidere, non adulterari, non facere furtum, non concupiſcere, non falſum Teſtimonium dicere, honorare omnes homines, & quod ſibi fieri quis non vult aliis ne faciat, abnegare ſemetipſum ſibi, vt ſequatur Chriſtum, Corpus caſtigare, diuitias non amplecti, ieiunium amare, pauperes recreare, nedum veſtire, Infirmum viſitare, mortuum ſepelire, in tribulatione ſubuenire, dolentem conſolari, à ſæculi actibus alienum ſe facere, nihil amori Chriſti præponere, iram non perficere, iracundiæ tempus non reſeruare, dolum in corde non tenere, pacem falſam non dare, charitatem non derelinquere, non iurare omnino, ne fortè periures, veritatem ex corde, & ore proferre, malum pro malo non reddere, Iniuriam non facere, ſed factam patienter ſufferre, Inimicos diligere, maledicentes nolle maledicere, ſed magis benedicere, perſecutionem propter Iuſtitiam ſuſtinere, non eſſe ſuperbum, non vinolentum, non multum edacem, non ſomnolentum, non pigrum, non murmuroſum, non detractorem, ſpem ſuam Deo committere, bonum aliquod in ſe cum viderit, Deo applicet, non ſibi, malum verò ſemper à ſe factum ſciat & ſibi reputet, Iudicium timere, Gehennam expaueſcere, vitam æternam omni concupiſcentia ſpirituali deſiderare, mortem quotidiè antè oculos aſpectam habere, actus vitæ ſuæ omni hora cuſtodire, in omni loco Deum ſe reſpicere pro certo ſcire,

cogi-

cogitationes malas cordi suo aduenientes, mox ad Christum allidere, & saniori Spirituali, os suum à malo, & prauo eloquio custodire, multum loqui non amare, verba vana, aut risui apta non loqui, risum multum, aut excessum non amare, lectiones Sanctas libenter audire, orationi frequenter incumbere, mala præterita cum lachrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, de ipsis malis de cætero emendare, desideria Carnis non perficere, voluntatem propriam odisse, præceptis Abbatis in omnibus obedire, & si ipse quod absit, aliter agat, memor illius Dominici præcepti, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. *Non velle dici Sanctum, antequam sit, sed prius esse, quo verius dicatur, præcepta Dei factis quotidie adimplere, castitatem amare, nullum odisse, Zelum, & inuidiam non habere, contentionem non amare, elationem fugere, seniores venerari, Iuniores diligere in Christi amore, pro Inimicis orare, cum discordantibus antè solis occasum in pacem redire, & de Dei misericordia nunquam desperare.*

Constitutio.

1. QVanquam hæc bonorum operum instrumentorum doctrina satis plena, ac sufficiens videatur, duo tamen hic addenda visum est, quorum alterum est, Sacramentum Pænitentiæ, aliud Sacrosanctam Eucharistiam frequentare.

2. Omnes ergo nostri Eremitæ singulo quoq; octauo die, aut nono ad summum confiteantur: Et Sacerdotes, qui legitimo cessante impedimento, quotidie celebrare solent, secundum nostræ Congregationis morem, ad frequentius confitendum adhortamur: Et si ali-

aliquis, seclusâ causâ rationabili, aut licentiâ superioris infrâ dictum temporis spatium confessus minimé fuerit, priuetur omninó pitantia, quousq; confiteatur.

3. Prior eligat duos, aut tres, vel etiam plures Confessarios, secundum numerum suæ familæ subditorum, quibus Eremitæ ad beneplacitum confiteri poterunt, absq; alia licentia dicti Prioris, cum libertate adeundi alterum ex expositis, relicto prius electo, quibus pariter nostri Eremitæ extranei confiteri valebunt. Et si aliquis ex extraneis supradictis fuerit Prælatus, vel à suo superiori expositus, suorum sociorum confessiones poterit audire, sinè superioris localis licentia. Sic pariter PP. Visitatores quocunq; loco, & tempore, ac vocales ad Capitulum Generale accessi, etiam post suorum officiorum renunciationem, munus confessarij obire poterunt.

4. Nullus primò Sacerdos ad Confessiones audiendas exponatur, nisi accedente examine Prioris, ac visitatoris in actu visitationis: & vbi deerint approbati Confessarij ad familiam sufficientes, poterit Prior ad tempus vsq; visitationis, quem voluerit, approbare.

5. Novitij suo Patri Magistro confiteantur; quando verò oportunum Prior iudicauerit, alium quempiam ex nostris Zelo, ac prudentiâ præditum ad Nouitiorum confessiones bis in anno excipiendas deputabit.

6. Itinerantes, vel ad nostra hospitia diuertentes, & ad alia nostræ Congregationis loca accedentes, confiteri poterunt cuicunq; ex nostris exposito, ac approbato à superiore, & in defectu Sacerdotis approbati, no-

nostris etiam non approbatis valeat confiteri, vel alteri tùm Sæculari, tùm regulari Sacerdoti, dummodo necessario, non autem in fraudem fiat Confessio, tunc enim nulla esset confessio ipsa.

7. Si sæcularis aliquis nostris confiteri desideret, quod nequè frequenter, neq; cum retributione fiat; decernetur à superiori Sacerdos, qui ab Ordinario fuerit approbatus, quiq; casus reseruatos calleat (quibus si pænitens illaqueatus fuerit) ad suum Iudicem Ordinarium remittet.

8 In visceribus IESU Christi quilibet Prælatus, ac superior deprecatur, nè piger, & supinus, sed diligens, ac Zelans sit citra curam Animarum sibi subditarum.

9. Eandem auctoritatem absoluendi à suo Priore expositi habeant, quam ipse Prior, nisi hic aliquam censuram, vel casum sibi expressè reseruauerit, circa quod seruetur omninò decretum Clementis VIII. circa casus reservatos: at publica censura ob Clerici percussionem Priori semper reseruata censetur.

10. Quod dictum est de frequentia confessionis pariter, & de sacra communione intelligantur, vt scilicet omnes non Sacerdotes Eremitæ singulis Dominicis diebus communicent, nisi ex aliqua propinqua festiuitate, aut alia rationabili causâ superior præuenien-dam, aut differendam Sacram Communionem iudicauerit. Saluis semper Dominicis, Aduentus, & Quadragesimæ, in quibus nullo modo ab ipsa vacandum.

11. Feria 5. in Cæna Domini omnes tùm Sacerdotes, tùm non Sacerdotes à suo superiore, qui die illa

celebrabit, communicent, & quoties simul plures ad Sacram communionem properant, bini incedentes, seruato professionis ordine, procedant, pallio omnes tecti, & Sacerdotes addant stollam, omnes itaq; omni possibili modestiâ, deuotione, ac reuerentia incedant.

12. Qui frequentius, aut rarius communicare voluerint, à suo superiore veniam petant; & qui contra fecerit, à suo superiore corrigatur, & puniatur.

13. Quocunque in loco Congregationis, vbi viget vsus chori, Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum in Tabernaculo tectum, & obseratum claue, asseruetur, ac semel in hebdomada commutetur.

Sciant igitur nostri Eremitæ, quod omnis doctrina hìc à Sancta Regula, & Constitutionibus tradita, ad reformandum interiorem hominem inseruire, eiusq; mortificationem maximè iuuare; Parum enim corporalia exercitia prosunt, nisi veræ pietati associentur. Et qui aliter solitariè vixerit, comparabitur sepulchro dealbato, quòd, Saluatore testante, foris quidem pulchrum apparet, intus verò plenum est ossibus, & omni spurcitia.

De Obedientia.

CAP. V.

PRimus obedientiæ gradus est obedientia sinè mora, hæc conuenit his, qui nihil sibi Christo charius existimant propter seruitium Sanctum, quod professi sunt, seù propter malum Gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ. Mox, vt aliquid imperatum à Maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram

ram pati nesciunt in faciendo. De quibus Dominus dicit. In auditu auris obediuit mihi. Et idem dicit Doctoribus, Qui vos audit, me audit. Ergò hi tales relinquentes statim, quæ sua sunt, & voluntatem propriam deserentes, mox exoccupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede iubentis vocem factis sequuntur. Et velut vno momento prædicta Magistri iussio, & perfecta discipuli opera, in velocitate timoris Dei, ambæ res communiter citius explicantur, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit. Ideò angustam vitam arripuit, vndè Dominus dicit. Angusta via est, quæ ducit ad vitam; vt non suo arbitrio viuentes, vel desiderijs suis, & voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno Iudicio & Imperio in Cænobijs degentes, Abbatem sibi præesse desiderent; sinè dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam, quâ dicit. Non veni facere voluntatem meam, sed eius, qui misit me. Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus, si quod iubetur non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum murmure, vel cum responso nolentis efficiatur; Quia obedientia, quæ Maioribus præbetur, Deo exhibetur. Ipse enim dixit. Qui vos audit me audit, & cum bono animo à Discipulis præberi oportet, quia hilarem datorem diligit Deus. Nam cum malo animo si obedit discipulus, & non solum ore, verùm, & in corde si murmurauerit, & si impleat iussionem, tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis; & pro tali facto, nullam consequitur gratiam, Imò pænam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendauerit.

Constitutio.

1. QVia ab obſervantia eorum, quæ in præſenti Sanctæ Regulæ capite continentur diſciplina, boniq; ſtatus conſeruatio pendet; Ideo noſtri Eremitæ omnimodam adhibeant diligentiam in exequendis mandatis, quæ Sanctiſſimus Pater in perfectæ obedientiæ conditionibus deſcribendis nobis præbet.

2. Subijciantur ergò in omnibus ſuo ſuperiori, nec quisquam quidquam contrà eorum voluntatem, aut mandatum agere præſumat; cum rationabile valdè ſit ibi maiorem eſſe debere obedientiam, vbi auſterior, ac perfectior viuendi viget diſciplina. Sciant igitur noſtri Eremitæ, nihil eis vltrà communem viuendi vſum licere: nullam exerceant artem, nihil ex vna in alteram Cellam, aut à loco in locum transferant, neq; veſtes, vel aliud quodpiam veſtimentum ſcindant, aut alterent: Imò nec exercitium aliquod quantumvis Spirituale, abſq; ſui ſuperioris licentia aggrediantur Abſtineant etiam ab illis, quæ dicto, vel ſcripto illis interdicuntur, & ea, quæ minima ſunt, quæqueeis ſinè licentia agere licet, cum obediētiæ merito facere delectentur. Quidquid in Sacra Regula, atq, his Conſtitutionibus continetur, totis viribus ſtudeant adimplere.

3. Ad maiorem præterea propriæ voluntatis abrenunciationem noverint omnes Eremitæ noſtri propter obedientiæ votum omnibus Privilegijs, gratijs, Indultis ſeù conceſſionibus à Sede Apoſtolica iam antea in proprium cuiuſq; fauorem obtētis, penitus abrenunciaſſe,

ſiue

ſiue eam ſingularitatē vitæ, ſeù Sacrorum ordinum promotionem, ſiuè ſubiectionis exemptionem, ſiuè tandem quocunq; modo propriæ voluntatis effectum reſpicere dignoſcantur.

De Taciturnitate.

CAP: VI.



Aciamus, quod ait Propheta; Dixi, cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam, obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. *Hic oſtēdit Propheta, ſi à bonis eloquijs interdum propter taciturnitatem debet taceri, quanto magis à malis verbis propter pænam peccati debet ceſſari? Ergo quamvis de bonis, & Sanctis ædificationum eloquijs perfectis diſcipulis propter taciturnitatis grauitatem, rara loquendi concedatur licentia, quia ſcriptum eſt* in multiloquio non effugies peccatum; *& alibi.* Mors, & vita in manibus linguæ, *nam loqui, & docere Magiſtrum, condecet tacere, & audire, diſcipulo conuenit, & ideò ſi quæ requirēda ſunt à Priore, cùm omni humilitate, & ſubiectione, & reuerentia requirantur, ne videatur plus loqui, quàm expedit; ſcurilitates verò, vel verba otioſa, & riſum mouentia, æterna clauſura in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium diſcipulum aperire os non permittimus.*

Conſtitutio.

1. TAciturnitas Sacroſancta eſt, dummodo Iuſtitiæ metas non excedat, quæ tacendi, loquendiuè tempus docet. Ideò diſcreta conſideratione hæc Sancti

cti BENEDICTI doctrina ſecundum tempus, ac locum, ſecundum deniq; neceſſitatis, & charitatis indigentiam obſeruanda eſt; Idcircò quandoq; in hoc ſuperior diſpenſare, aliquando verò neutiquam. Declaramus itaq; indiſpenſabiles eſſe omnes per annum Dominicos dies, omnes & ſolemnitates, ac feſta Sanctorum, quæ ex præcepto Eccleſiæ, vel Conſtitutionum veniunt obſeruanda, ambas Quadrageſimas, ac Sextas ferias cuiuſcunq; hebdomadæ, omnes deniq; dies, in quos abſtinentia transfertur. Ac inſuper à Completorio cuiuſq; diei, vſq; ad primam, ſequentes horas quoque, quæ æſtiuo tempore, orationi, vel dormitioni ſunt deputatæ.

2. Eodem modo diſpenſatio in quibuſdam locis, locum non habet, vti ſunt Eccleſia, & eius veſtibulum Sacrarium, Capitulum culparum, & Refectorium. Imò in diebus diſpenſatis non intelligitur in vijs, quæ ſunt inter Cellas, ac in plateis antè Eccleſias, & antè Eremi portam, in quibus ſilentium frangere nefas eſt.

3. At è contrà ſic humana conditione, fraternaquè charitate, ſic exigentibus, etiam aliquando in diebus, horiſuè ſuprà prohibitis, honeſta loquendi licentia concedatur. Ideò in Dominica quinquageſimæ, ac in feſto S. MARTINI (quia Quadrageſimas ingreſſuri Eremitæ, ſimul charitatiuè reficiuntur) ſilentium à Prima diei vſq; ad quartam noctis hora relaxabitur. Eccleſia, Sacrario, Capitulo, ac veſtibulo ſemper exceptis, dummodo diuinæ laudes in Choro conſuetis horis, perſoluantur.

4. Ob-

4. Obtinuit insuper laudabilis consuetudo, vt bis in hebdomada hyemali tempore, & ter in æstate, per superiorem post Primam in vestibulo Ecclesiæ silentium dispensetur, quæ quidem dispēsatio vltrà signum Completorij eiusdem diei non extenditur. Hyemem autem dicimus à festo exaltationis Sanctæ Crvcis, vsque ad Pascha, Resurrectionis. Quod verò reliquum est temporis vsq; ad idem festum, æstatem vocamus. Fiat itaq; dispensatio in hyeme feriâ tertiâ, & quinta, sed in æstate addatur Sabbatum. In quibus diebus, vel eorum aliquo si præceptivum festum inciderit, in alium non impeditum dispēsatio transferatur. Quod si tota hebdomada festiva fuerit, in minori fiat festo; Ita vt nunquam in hyeme bis, & ter in æstate silentij dispensatio prætermittatur: Caveant tamen omnes in huiuscemodi collocutionibus aliquid sæculare, vanum, aut frivolum tractare.

5. Et quiá silentium non solùm verbis, imò magis quovis importuno tumultu, ac strepitu destruitur, ideò necesse est, dum diuina officia, aut missæ celebrantur circà Ecclesiam, dum verò oratio fit, vel somni quies capitur in Cellis, vijs, aut locis publicis, ab omni strepitu, vel strepitoso manuali exercitio penitus abstineri. Si quis autem silentij temporibus, absq; superioris licentia, alterius Cellam adierit, vel pulsauerit, aut strepitum notabilem fecerit, cum officia celebrantur diuina, & Oratio, siuè dormitio fit, maximeq; nocturno tempore, accuset se in Capitulo, & secundum culpæ qualitatem, superioris arbitrio punia-

tur. Qui verò silentium simpliciter transgressus fuerit, plus temporis loquendo, quàm vt Psalmus 50. *Miserere* dici queat, fructuum portione, quæ vel illa die, vel sequenti illi debita, priuabitur; sic garrulæ Aues, vel delitiosæ, & omne animal latrabile, ludicrum, atq; inquietum ab Eremis nostris penitus arceatur. Permittuntur solum canes ad Custodiam, quando, & vbi necessarij videbuntur.

6. Novitijs cum Professis, nulla sit vnquam loquendi licentia, nisi illi à suo Patre Magistro, & isti á suo Priore facultatem acceperint. Cum hospitibus, siué sæcularibus, siuè Religiosis affinibus, vel amicis, vel operarijs, nulla sit conuersatio, nisi aliqua ex iusta causa iusserit Prælatus.

7. Meminerint tandem omnes quotidie, dum signum Primæ datur, ad Deum mente conuersi, hos versiculos orando dicere. *Pone Domine Custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.*

169 vi
gadae

De Humilitate.

CAP. VIII.



Lamat nobis scriptura diuina (Fratres) dicens, Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. *Cum hæc ergò dicit, ostendit nobis omnem exaltationem, genus esse superbiæ, quod se cauere propheta indicat, dicens,* Domine non est exaltatum cor meum, neq; elati sunt oculi mei, neq;

ambu-

ambulavi in magnis neque in mirabilibus super me, sed quid? si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam, sicut ablactatus super matrem suam, ita retribues in animam meam, *Vndè (Fratres) si summæ humilitatis culmen volumus attingere, & ad exaltationem illam cælestem, ad quam per præsentis vitæ humilitatem ascenditur, volumus velociter peruenire, actibus nostris ascendentibus, scala illa erigenda est, quæ in somno Iacob apparuit, per quam ei descendentes Angeli, & ascendentes monstrabantur. Non aliud sine dubio descensus ille à nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere, & humilitate ascendere. Scala verò ipsa erecta, nostra est vita in sæculo, quæ humiliato corde à Domino erigitur ad Cælum; latera enim eiusdem Scalæ dicimus nostrum esse corpus, & animam, in quibus diuersos gradus humilitatis, vel disciplinæ vocatio diuina ascendendos inseruit. Primus itaq; gradus humilitatis est, vt si timorē Dei sibi antè oculos semper ponens, obliuionem omninò fugiat, & semper sit memor omnium, quæ præcipit Deus: & qualiter contemnentes Deum, in Gehennam pro peccatis incidunt, & vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata est, animo suo semper reuoluat, & custodiens se omni hora à peccatis, & vitijs, idest cogitationum, linguæ, oculorum, manuum, pedum, vel voluntatis propriæ, sed & desideria carnis amputare festinet. Existimet se homo de Cælis à Deo semper respici omni hora, & facta sua in omni loco ab aspectu diuinitatis videri, & ab Angelis omni hora Deo nunciari. Demonstrat nobis hoc Propheta, cum cogitationibus nostris ita Deum semper præsentem ostendit dicens.* Scrutans corda, & renes Deus. *Et item,* Dominus nouit cogitiones hominum, quoniam vanæ sunt,

Et item dicit. Intellexisti cogitationes meas à longè, & quia cogitatio hominis confitebitur tibi; *Nam vt sollicitus sit circà cogitationes suas peruersas, dicat semper humilis Frater in corde suo. Tunc ero immaculatus coram eo, si obseruauero me ab iniquitate mea, voluntatem verò propriam ità facere prohibemur, cùm dicit scriptura nobis,* Et à voluntatibus tuis auertere; *Et item rogamus Deũ in oratione, vt fiat illius voluntas in nobis. Docemur ergò meritò nostram non facere voluntatem, cum canimus illud, quod dicit scriptura:* Sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis vsq; ad profundum inferni demergit. *Et cum canimus illud, quod de negligentibus dictum est.* Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in voluptatibus suis. *In desiderijs verò carnis, ita nobis Deum credamus semper esse præsentem, cum dicit Propheta* Domino. Ante te omne desiderium meum. *Cauendum ergò est ideò malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est. Vndè scriptura præcipit dicens,* Post concupiscentias tuas non eas. *Ergò si oculi Domini speculantur bonos, & malos, & Dominus de Cælo semper respicit filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum, & ab Angelis deputatis nobis quotidie, die, noctuq; Domino factori nostro, opera nostra nunciantur, cauendum est omni hora, Fratres, sicut dicit in Psalmo Propheta, ne nos declinantes in malum & inutiles factos aliqua hora aspiciat Deus, & parcendo nobis in hoc tempore, quià pius est, & expectat nos conuerti in melius, nè dicat nobis in futuro.* Hæc fecisti, & tacui.

Secundus humilitatis gradus est, si propriam quis non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere, sed vo-

vocem illam Domini imitetur dicentis. Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me. *Item dicit scriptura:* Voluntas habet pœnam, & necessitas parit coronam.

Tertius humilitatis gradus est, vt quis pro Dei amore omni obedientia se subdat maiori, imitans Dominum, de quo dicit Apostolus, Factus obediens vsq; ad mortem.

Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris, & contrarijs rebus vel etiam quibuslibet irrogatis iniurijs, tacitâ conscientia, patientiam amplectatur, & sustinens non lassescat vel discedat, dicente scriptura. Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic salvus erit. *Item,* Confortetur cor tuum, & sustine Dominum, & ostendes fidelem pro Domino, vniuersa etiam contraria sustinere debere. *Dicit ex persona sufferentium.* Propter te morte afficimur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis; *Et securi de spe retributionis diuinæ, subsequuntur gaudentes & dicentes;* Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos; *Et item alio loco scriptura;* probasti nos (*inquit*) Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro. *Et vt ostendat sub Priore debere nos esse, subsequitur dicens.* Imposuisti homines super capita nostra, *sed & præceptum Domini in aduersis, & in iniurijs per patientiam adimplentes, percussi in maxilla, præbeant & aliam, auferenti tunicam, dimittant & pallium, angariati, mille passus vadant & duo milliaria, & cum Paulo Apostolo.* Falsos fratres, & persecutiones sustinent, & maledicentes se benedicunt.

Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes, vel mala à se absconditè commissa, per humilem confessionem Abbati non cælauerit suo. Hortatur nos de hac re scriptura, dicens, Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, *Et item dicit,* Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius, *Et item Propheta.* Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitias meas non operui. Dixi pronunciabo aduersum me iniustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.

Sextus humilitatis gradus est, si omni vilitate, vel extremitate contentus sit Monachus, & ad omnia, quæ sibi iniunguntur, velut operarium se malum iudicet, & indignum, dicens cum Propheta. Ad nihilum redactus sum, & nesciui, vt Iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.

Septimus humilitatis gradus est; si omnibus se inferiorem, & viliorem non solum suâ lingua pronunciet, sed etiam intimo cordis credat affectu, humilians se, & dicẽs cum Propheta, Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Exaltatus sum, & humiliatus, & confusus. *Et item,* Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam mandata tua.

Octauus humilitatis gradus est, si nihil agat Monachus, nisi quod communis Monasterij regula, vel Maiorum cohortantur exempla.

Nonus humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat Monachus, & taciturnitatẽ habens, vsq; ad interrogationem non loquatur, Monstrante scriptura, quia in multiloquio non effugietur peccatum, & quod vir linguosus non dirigetur super terram.

Decimus humilitatis gradus est. Si non sit facilis, & promptus in risu. Quia scriptum est. Stultus in risu exaltat vocem suam.

Vndecimus humilitatis gradus est; si cum loquitur Monachus leniter, & sine risu, humiliter cum grauitate, vel pauca verba & rationabilia loquatur, & non sit clamosus in voce, sicut scriptum est. Sapiens verbis innotescit paucis.

Duodecimus humilitatis gradus est, si non solum corde Monachus, sed etiam corpore humilitatem videntibus se semper indicet. Idest in opere, in Monasterio, in Oratorio, in horto, in via, in agro, vel vbicunq; sedens, ambulans, vel stans, inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus, reum se omni hora de peccatis suis existimans, iam se tremẽdo Iudicio Dei præsentari existimet, dicens sibi semper illud, quod Publicanus ille Euangelicus fixis in terram oculis, dixit. Domine non sum dignus ego peccator leuare oculos meos ad cælũ, *Et iterum cum Propheta* Incuruatus sum, & humiliatus sum vsquequaque. *Ergò his omnibus humilitatis gradibus ascensis, Monachus ad Charitatem Dei perueniet illam, quæ perfecta, foras mittit timorem, per quam vniuersa quæ prius non sine formidine obseruabat, absq; vllo labore, velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire; non iam timore Gehennæ, sed amore Christi, & consuetudine ipsâ bona, & delectatione virtutum, quæ Dominus iam in operarium suum mundum à vitijs, & peccatis, Spiritu S. dignabitur demonstrare.*

Constitutio.

TAm Sancta est, tamq; plena huius capitis tractatio, vt superfluum videatur aliud quicquam hoc in loco sta-

co statuere, tantæq; vtilitatis huius lectionis series apparet, vt ex se non inuitet modó, sed etiam ad sui admirationem, & continuum studium propriâ virtute compellat.

De Officijs Diuinis in noctibus.

CAP: VIII,



Yemis tempore, idest à Kalendis Nouembris vsq; ad Pascha, iuxtà considerationem rationis, octauâ hora noctis surgendum est, vt modicè amplius de media nocte pausetur, & etiam digesti surgant. Quod verò restat post vigilias, à Fratribus, qui Psalterij, vel Lectionum aliquid indigeat, meditationi inseruiatur. A Pascha autem vsq; ad supradictas Kalendas Nouembris sic temperetur hora vigiliarum agenda, vt paucissimo interuallo, quo Fratres ad necessaria naturæ exeant, custodito, mox matutini, qui incipiente luce, agendi sunt, subsequantur.

Constitutio.

1. QVod hyemis tempore octauâ hora surgendum sit, sed iuxta noctis breuitatem, vel longitudinem hora vel protrahenda, vel retrahenda est:

2. Vnde ab Idibus septembris, primum Matutini signũ horâ septima pulsetur, tum à die septima octobris quasi per suos gradus ascendendo, horâ septima, & dimidia; sic à Kalendis Nouembris, horâ octaua dictum signum fiat. Rursus à decima Februarij sensim retrocedendo, horâ septimâ, & dimidia. A Septima verò

Mar-

Martij, hora ſeptima. A ſecunda die Aprilis hora ſexta, & dimidia. A vigeſima quinta eiuſdem hora ſexta, ſimiliter à nona Maij hora quinta, & dimidia, & à die ſecunda Iunij hora quinta.

3. Præterea iterum creſcente nocte, iterum etiam ſignum protenditur, vndè à decima Iulij pulſatur horâ quintâ, & dimidia, & à Kalendis Auguſti, horâ ſexta, & à vigeſima eiuſdem vſq; ad prædictas Idus Septembris hora ſexta, & dimidia. Excipitur nox Dominicæ Natiuitatis, in qua ſexta hora pulſatur.

4. Duplex erit Matutini ſignum, ſicut & aliarum Canonicarum horarum, primum Matutini ſignum erit quinque *Miſerere* in hyeme, ſed in æſtate quatuor *Miſerere* tantum, cum interuallo inter primum, & ſecundum duorum *Miſerere*. Vltimum verò ſignum vnius *Pater noſter*, cum Angelica ſalutatione erit.

5. Audito ergò nocturnæ laudis ſigno, velociter ſurgentes ad tantum opus, omnes ſe præparent: Et ſtatim mentem ad Deum, leuantes aliquam feruentem orationem, ſeu Pſalmum pronuncient, aut certè aliquod Paſſionis, vel Diuinitatis Myſterium meditentur, ad Eccleſiam (ſic modeſtâ grauitate ſeruata) properent, quo cum peuenerint, aperto in primis capite in ipſo introitu aqua benedicta ſe aſpergat, dicens, *Aſperges me Domine &c.* quod quidem omnes obſeruare debent, non ſolum intrantes, verùm & exeuntes, ab Eccleſia poſtea dicat. *Introibo in Domum tuam, adorabo ad templum Sanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine.* Et antè Altare genuflexus poſtquam aliquantulum orauerit,

verit, completo primo matutini ſigno, ſurgat, & chorum ingrediens in ſuo loco genuflectat, expectans ſuperioris ſignum officij incipiendi. Reliquis autem horis, & temporibus, quoties intranda eſt Eccleſia, aperto capite ingrediatur, etiam ſi frigus maximè vigeat; & altero genu tantum ante Altare ad terram flexo ſe ſimiliter inclinet, & intret chorum.

Quot Pſalmi dicendi ſint in nocturnis horis.

CAP. IX.

H*Yemis tempore præmiſſo in primis verſu,* Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina. *In ſecundo ter dicẽdum eſt:* Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. *Cui ſubiungendus eſt tertius Pſalmus, &* Gloria. *Poſt hunc Pſalmus nonageſimus quartus cum Antiphona, aut certè decantandus, indè ſequatur Ambroſianus. Deindè ſex Pſalmi cum Antiphonis. Quibus dictis, & dicto verſu, benedicat Abbas, & ſedentibus omnibus in ſcamnis, legantur viciſſim à Fratribus in Codice ſuper Analogium tres lectiones, inter quas tria Reſponſoria cantantur, duo Reſponſoria ſinè* Gloria *dicantur. Poſt tertiam verò lectionem, qui cantat, dicat gloriam, quam cum inceperit Cantor dicere, mox omnes de ſedilibus ſurgant, ob honorem, & reuerentiam Sanctæ Trinitatis; Codices autem legantur in vigilijs, auctoritates tam veteris Teſtamenti, quàm Noui, ſed & expoſitiones earum, quæ à nominatiſſimis, & orthodoxis, Catholi-*

cisq;

cisq; Patribus factæ sint. Post has verò tres lectiones cum responsorijs suis, sequantur reliqui sex Psalmi cum Alleluia *canendi. Post hoc lectio Apostoli sequatur ex corde recitanda & versus, & supplicatio, Litaniæ, idest* Kyrie eleison, *& sic finiantur vigiliæ nocturnæ.*

Constitutio.

1. CVm ad amussim Breuiarij Monastici ordo, ac forma seruanda sit, satis hic modus ac Cæremonias in nocturnis Officijs celebrandis erit recensere. Cessante secundo itaq; Campanę signo, omnibus in choro genuflexis, vt dictum est, dato ab ipso superiore Officij inchoandi signo, assurgant omnes, & profundè inclinati dicant secretò. *Pater noster, Aue Maria, & Credo,* quibus finitis, iterum superiore signante, erigantur cuncti, & Sacerdos hebdomadarius incipiat, *Deus in adiutorium meum intende*, quod cum dicitur omnes ad Altare conuersi, se signo Crucis muniant. Cum verò dicitur, *Domine labia mea aperies,* Os tantum pollice signent. Ad *Gloria Patri,* iterum vtrinque ad Chorum conuersi, profundè se inclinent. Postea stantes sequentia prosequantur.

2. Dum dicitur Psalmus *Venite exultemus,* ad Altare conuertant facies suas, quod & quando Euangelium super Altare legitur, semper obseruandum est. Item Sacerdos, quando Capitula, Antiphonas ad *Magnificat, & Benedictus* orationesque recitat, faciat, Et Clericus quando Responsoria, Breuia, versiculos, & lectiones Officij parui B. V. & mortuorum.

 3. Tres

3. Tres lectiones, quas hic Pater Sanctus vicissim in Choro legi iubet, legat ille, qui vltimus est, sivè inferior Chori oppositi Hebdomadario, petita prius benedictione, nisi de homilia Euangelij desumptæ sint. Tunc quidem Sacerdotis hebdomadarij munus erit. Responsoria verò, Clericus hebdomadarius recitabit. Quando superior officium dicit, vt in solemnioribus Festivitatibus, Homiliæ, lectiones, non ipse, sed Sacerdos hebdomadarius leget.

4. In Eremis, in quibus sunt in Choro, præter Priorem, sex Sacerdotes, Prior ad hebdomadam faciendam non tenetur, sed solum officium in solemnioribus festiuitatibus: quod intelligitur, quando illi sex Sacerdotes, hebdomadas Sacerdotaliter faciunt. Quando verò Prior hebdomadarij munus subest, Sacerdos illi proximior homiliæ lectiones legat, atq; ità erit omninò obseruandus; non enim decet Prælatum à subdito benedici, quòd tamen in superiore nequaquam militat.

Qualiter æstatis tempore nocturna laus agatur.

CAP. X.

A Pascha autem, vsq; ad Kalendas Nouembris omnis (vt supradictum est) Psalmodiæ quantitas teneatur, excepto, quod lectiones in Codice propter breuitates noctium minimè legantur, sed pro ipsis tribus lectionibus, vna de veteri Testamento memoriter dicatur, quam breue Responsorium subsequatur, & reliqua

qua

qua omnia (vt supradictum est) impleantur, idest nunquam minus à duodecim Psalmorum quantitate ad vigilias nocturnas dicatur, exceptis tertio, & nonagesimo quarto Psalmo.

Qualiter Dominicis diebus Vigiliæ agantur.

CAP. XI.

DOminico die temporius surgatur ad vigilias, in quibus vigilijs teneatur hæc mensura. Idest, modulatis (vt supra disposuimus) sex Psalmis, & dicto versu, residentibus cunctis dispositè, & per ordinem in subsellijs legantur in Codice (vt supra diximus) quatuor lectiones cum responsorijs suis, vbi tantum in responsorio quarto dicatur à Cantore Gloria. *Quam cum incipit, mox omnes cum reuerentia surgant. Post quas lectiones, sequantur ex ordine alij sex Psalmi cum Antiphonis, sicut anteriores, & versus, post quas iterum legantur aliæ quatuor lectiones, cum responsorijs suis ordine, quo supra, post quas iterum dicantur tria Cantica de Prophetis, quæ instituerit Abbas, quæ Cantica cum* Alleluia *psallantur. Dicto etiam versu, & benedicente Abbate, legantur aliæ quatuor lectiones de nouo Testamento ordine quo supra.*

Constitutio.

1. REferentes nos ad noui Breuiarij ordinem hic de lectionibus, modoq; legendi solummodo agendum est. Quilibet ergo præuideat, ac perlegat, quod sibi legendum est, suis aptando signacula locis, ne se, aliosque perturbet.

2. Primi nocturni quatuor lectiones, ille legere tene-

tenetur, qui infimum locum in Choro tenet ex opposito Hebdomadarij, siuè Nouitius, siuè professus existat. Lector in ipso lectionis initio capite inclinato, benedictionem petat, qua à superiore data, sedentibus cæteris, ipse stans legat, sed quoties benedictio petitur, omnes assurgere debent, iterumq; sedere: nemo tamen ante superiorem sedere præsumat.

3. Secundi nocturni lectiones ab eo leguntur, qui in proximo supra prædictum lectorem in eadem parte Chori, loco residet. Tertij verò nocturni lectiones, quæ ferè de homilia Euangelij recitantur, semper ad Sacerdotem hebdomadarium pertineat. Omnes lectiones à supradictis lectoribus in proprijs locis recitabuntur.

4. Hebdomadarius autem Sacerdos is dicitur, qui omnibus horis diurnis, pariter, & nocturnis diuinum opus inchoat. Cuius munus erit ad omnes horas Capitula, & Antiphonas Ad *Magnificat, & Benedictus*, in officio Regulari. Item Antiphonas, & versiculos Commemorationum, nec non versum post Antiphonam B· MARIÆ in fine officij cum suis orationibus recitare. Ac etiam *Pretiosa* post primam cum suis pertinentibus, Psalmorum gradualium, pænitentialiumq; versiculi cum litanijs, quotiescunq; dicenda sunt, per ipsum Hebdomadarium persoluantur. Missam Conuentualem quotidie celebrare, & sequenti Dominica, ac tota hebdomada primam Missam dicere tenetur.

5. Clericus hebdomadarius, qui eiusdem Chori erit

cum Sacerdote prædicto, pronunciabit inuitatorium cum Psalmo *Venite Exultemus*, Antiphonas, versiculos, & Responsoria lectionum officij regularis. Lectiones, & versiculos in officio B. MARIÆ, & Defunctorum, lectionem Martyrologij, & lectionem breuem post Preciosam; lectionem in Capitulo antè Completorium, & tandem omnes Antiphonas Psalterij in ferialibus, simplicibus, & Dominicis intonabit: nam cum integræ dicuntur, ad Chorum spectant. In omnibus Dominicis per annum, ac festis duplicibus in officio Regulari, ac in Anniuersarijs Defunctorum. Clericus hebdomadarius præsens cum præterito, ambo inquam simul, Inuitatoria, & Responsoria breuia, tam in Laudibus, quàm in Vesperis in medio Chori decantabunt. Attamen in semiduplicibus, simplicibus, atq; ferijs, solus hebdomadarius in suo proprio loco, hoc munus adimplebit.

6. Jn festiuitatibus solemnioribus idem hebdomadarius Maiori, seù Priori celebranti deseruiet, & omnibus diebus festivis pacem, more solitò, acceptam prius, alijs præbebit. Et vbi solus vnus erit Clericus, vltimus professionis Sacerdos, munera clericalia obibit, tam in Choro, quam in Lectione in Capitulo ante Completorium, & quæcunq; solent Clerici peragere, deficientibus ipsis Clericis. Si verò vnus solus sit Clericus, hic in solemnitatibus inseruiet Missæ, pacemq; dabit, reliquum hebdomadarius ipse perficiet.

5. Conuersus autem hebdomadarius, diligens in primis esse debet, vt quoties opus sit, præsens in Eccle-

clesia reperiatur. Is lucernas Chori ad Matutinum, accendet, & Candelas Altaris ad Laudes, ad Missam, ad Completorium, ac etiam festiuis diebus ad Vesperas, quas diuino peracto Officio diligenter extinguet. Crucem tam ad Processiones, quæ in Ecclesia fiunt, quàm ad eas, quæ ad Infirmos cõmunicandos, vngendosuè, mortuosq; sepeliendos diriguntur, omnes antecedens portabit. Ad Missam insuper Conuentualem Sacerdoti deseruiet (nisi superiorem in solemnioribus celebrare contingat, cui Clericus hebdomadarius assistere debet) præueniat ergò tempus, seq; ad Sanctum opus præparet, vt incepta, hora, quæ Missam immediatê præcedit, solitum Campanæ signum pulset, & in Sacrario Sacerdotes expectet. Ac in sequenti hebdomada Missæ, quæ post Primam dicitur inseruiet, & die Dominico aquæ benedicendæ, responsa benedicenti Præsbytero daturus, assistere tenetur. Si verò quoties opus erit Ministerio suo præsto non fuerit, vel ipse legitimè impeditus, alium sui loco non suffecerit, suam dicat culpam in Capitulo, & à vino abstineat.

8. Quoties aliquis ex his Sacerdos, vel Clericus iusté impeditus personaliter his officijs adesse nequit, qui ei in eodem Choro proximè officio successurus est, is Socij munus adimplebit. Laico verò hebdomadario, qui professione ei inferior est, succedet. Atq; adeò Sacerdotes nouiter professi, completo professionis anno atq; à Nouitiatu egressi Sacerdotis hebdomadarij munus incipient.

9. He-

9. Hebdomadarij à vesperis Sabbati incipient, vsq; ad nonam sequentis Sabbati inclusiuè, qui nona expleta, se in medio Chori prosternent, pro erroribus, & defectibus in officio per totam hebdomadam cõmissis.

Sequitur Sancta Regula.

POst quartum verò Responsorium, incipiat Abbas Hymnum Te Deum laudamus, *quo dicto legat Abbas lectionem de Euangelio cum honore, & tremore, stantibus omnibus. Quâ perlecta, respondeant omnes* Amen, *& subsequatur mox Abbas Hymnũ* Te decet laus, *& data benedictione incipiat Matutinos, Qui ordo vigiliarum omni tempore tàm æstatis, quàm hyemis, æqualiter in die Dominico teneatur, nisi fortè (quod absit) tardius surgatur, quia tunc aliquid de lectionibus breuiandum est, aut Responsorijs, quod tamen omninò caueatur, ne proueniat. Quod si contigerit, dignè indè satisfaciat in oratorio, per cuius euenerit neglectum.*

Constitutio.

1. ILle qui Choro præsidet, & absolutiones, quæ lectionibus præmittuntur, faciat, atq; Lectoribus benedictionem petentibus more solitò impendat, ac deindè *Te Deum* incipiat, & Evangelium cum stola ad humeros super pallium, in medio maioris Altaris, stantibus omnibus, illucq; respicientibus, luminibusque in eodem Altari accensis, alta & intelligibili voce decantet. Quo finito *Te decet* cum oratione currentis

officijs dicat, & antequam ab Altari discedat, immediatè laudes incipiat, dicens *Deus in adiutorium meum.*

2. Quocunq; in nostræ Congregationis loco præsens in Choro fuerit Pater Maior, prædicta omnia ipse perficiet. Qui etiam in omnibus solemnitatibus primæ Classis, ac in festo Sanctissimæ Trinitatis, ac Circumcisionis Domini, nec non Purificationis, Annunciationis, & Natiuitatis B. MARIÆ diuinum Officium in primis, & secundis Vesperis, in Matutino, & Laudibus, ac Tertia, Officium, ac tandem Missam Conuentualem dicet. Eandem Missam celebrabit, quoties benedictio aliqua Candelarum, vel Cinerum, & Oliuarum, & quandocunque Nouitius induendus est, profiteriuè debet. Item Sabbato Sancto, & vigilia Pentecostes, iuxtà Missale Romanum.

Quomodo Matutinorum solemnitas agatur.

CAP. XII.

IN Matutinis die Dominico in primis dicatur sexagesimus sextus Psalmus sine Antiphona in directum; postquem dicatur quinquagesimus Psalmus cum Alleluia; *postquem dicatur centesimus decimus septimus, & sexagesimus secundus; deinde Benedictiones, & Laudes, Lectiò de Apocalypsi vna ex corde, & responsorium, & Ambrosianum, & versus, & canticum in Euangelio, Litaniæ, & completum est.*

Con-

Constitutio.

1. HÆc diuini officij pars, præ alijs omnibus solemniter, ideſt maioris vocis ſono, moroſitateq; peragenda eſt. Jlluminatoq; ſemper Altari. Sed quia feſtorum dies, non pari modo, nec æqualiter recoluntur, ideò in illuminãdo Altari, varius quoq; erit modus.

2. In omnibus primæ Claſſis ſolemnitatibus, & aliquibus ſecundæ, in quibus ſuperior celebrare, ac officium dicere ſolet (vt ſupra dictum eſt) ſex candelæ vnciarum quatuor ponderis pro qualibet, accendantur. Jn feſtis ſecundæ Claſſis, quatuor eiuſdem ponderis, at in duplicibus tertiæ Claſſis, & Dominicis etiam quatuor, ſed trium vnciarum. Jn officio verò ſemiduplici, aut de die infrà octauam, ac de B. MARIA in Sabbato, duæ tantum trium vnciarum. Quæ candelæ, dum *Te Deum* cantatur à Conuerſo hebdomadario ſunt accedendæ, & vſq; ad finem officij lucebunt. Ardebunt etiam ad Miſſam Conuentualem ac veſperas. verùm in ferialibus diebus, atq; in ſimplicibus feſtis, ad laudes, & veſperas, vna ſola candela duarum vnciarum antè Altare lucere conſueuit; idemque ad completorium ſeruatur.

Qualiter priuatis diebus Matutini agantur.

CAP. XIII.

DIebus autem priuatis, Matutinorum ſolemnitas ità agatur; ideſt ſexageſimus Pſalmus dicatur ſinè antipho-

na in directum subtrahendo modicè sicut Dominica, vt omnes occurrant ad quinquagesimum, qui cum Antiphona dicatur. Post quem alij duo Psalmi dicantur (secundum consuetudinem, idest secundâ feria, Psalmus quintus, & trigesimus quintus. Tertiâ feria quadragesimus secundus, & quinquagesimus sextus. Quartâ feria, sexagesimus tertius, & sexagesimus quartus. Quintâ feria, octuagesimus septimus, & octuagesimus nonus. Sabbato autem centesimus quadragesimus secundus, & Canticum Deuteronomij, quod diuidatur in duas glorias. Nam cæteris diebus Canticum vnumquodq; die suo ex Prophetis (sicut psallit Ecclesia Romana) dicatur. Post hæc sequantur laudes, deindè lectio vna Apostoli, memoriter recitanda, Responsorium, Ambrosianum, versus, Canticum de Euangelio, Litaniæ, & completum est. Planè agenda matutina, vel Vespertina non transeant aliquando, nisi in vltimo per ordinem Oratio Dominica omnibus audientibus dicatur à Priore, propter scandalorum spinas, quæ oriri solent; vt conuenti per ipsius orationis sponsionem, qua dicunt. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, *purgent se ab huiusmodi vitio. Cæteris verò agendis, vltima pars eius orationis dicatur, vt ab omnibus respondeatur.* Sed libera nos à malo.

Constitutio.

1. Consuetus Congregationis modus in Psalmis intonandus est, vt scilicet alternati per vices suas vtriusque Chori superiores, Psalmos, & cantica intonent. Hymnos verò incipiat, qui primus est à parte Hebdomadarij: sed Cantica Euangelica, idest *Magnificat*, & *Benedictus*. in Regulari officio Chori superior into-

intonabit, nisi ipse superior officium faciat, seù deducat, quia tunc Antiphonam dicturus, non potest vtrũque cum decore peragere. Ideò qui post eum Choro præest, dicta cantica intonabit.

2. Eiusdem superioris onus erit in laudibus, & Vesperis, Dominicam orationem post *Kyrie eleison* alta, & intelligibili voce pronunciare. *Kyrie eleison* autem semper à parte Prioris incipiet, etiamsi ipse à Choro absit, præterquam in Psalmis gradualibus, quando *Gloria Patri* à parte dicti Prioris completur.

3. Jncipiet quoq; superior Antiphonas Beatissimæ Virginis in fine Horarum, idest *Salue Regina* & *Alma Redemptoris, &c.*

In Natalitijs Sanctorum qualiter vigiliæ agantur.

CAP. XIV.

IN *Sanctorum verò festiuitatibus, vel omnibus solemnitatibus (sicut diximus die Dominico agendum) ità agatur, excepto, quod Psalmi, aut Antiphonæ, vel lectiones ad ipsum diem pertinentes dicantur, modus autem supradictus teneatur.*

Quibus temporibus dicatur Alleluia.

CAP: XV.

A *Sancto Paschæ, vsq; ad Pentecosten, sinè intermissione dicatur* Alleluia, *tàm in Psalmis, quàm in Responsorijs. A Pentecoste autem, vsq; ad caput quadragesimæ omnibus noctibus, cum sex posterioribus Psalmis, tantum ad*

nocturnos dicatur. Omni verò Dominica extra quadragesimam Cantica, Matutini, Prima, Tertia, Sexta, Nonaq; cum Alleluia *dicantur, vesperæ autem cum Antiphonis, Responsoria nunquam dicantur cum* Alleluia, *nisi à Pascha, vsq; ad Pĕtecosten.*

Qualiter diuina opera per diem agantur.

C A P. X V I.

S*Epties in die, ait Propheta,* laudem dixi tibi, *qui septenarius numerus à nobis sic implebitur, si matutini primæ, tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completoriiq; tempore, nostræ seruitutis officia persoluamus, quia de his horis dixit Propheta*, septies in die laudem dixi tibi; *Nam de Nocturnis vigilijs, idem ipse Propheta ait,* Media nocte surgebam ad confitendum tibi; *ergo his temporibus referamus laudes creatori nostro, super Iudicia Iustitiæ suæ, idest matutinis, Primâ, tertiâ, Sextâ, nonâ, Vespera completorio, sed nocte surgamus ad confitendum ei.*

Constitutio.

1. QVamvis Conuersi ad diuinum officium recitandum minimè teneantur, tamen cum & ipsi Religiosi sint, nullatenus à Deo septies in die laudando excusabiles sunt, ac media surgentes nocte, ipsi confiteri. Ideò ex antiqua consuetudine vice dicti officij, ad infrascriptas quotidianas preces recitandas tenentur.

2. Quotidie igitur recitabunt octoginta duas orationes dominicas, ac totidem Angelicas salutationes, ipsas in hunc modum partientes, vt scilicet Matutinis qua-

quadraginta, Laudibus decem, Veſperis ſeptem, Primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ, ac Completorio ipſarum cuilibet horarum quinas tribuant, idq; maxima deuotione, attentione, & reuerentia perſoluant.

3. Debent inſuper ſingulis noctibus pulſante Campana ad Eccleſiam accedere, nocturnisq; laudibus perſonaliter aſſiſtere, nec indè, donec officium perſolutum fuerit, recedere. In die verò propter eorum crebras occupationes, ſi feria ſit, aut dies non feſtiuus, ad Primam, & Completorium tantum, in ſolemnitatibus, & feſtiuitatibus præceptiuis etiam veſperis interſint.

Quot Pſalmi per eaſdem horas dicendi ſunt.

C A P. XVII.

IAm de Nocturnis, vel Matutinis digeſſimus ordinem Pſalmodiæ. Nunc de ſequentibus horis videamus. Primâ hora, dicantur Pſalmi tres ſigillatim, & non ſub vna Gloria. *Hymnus eiuſdem horæ poſt verſum.* Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina, *antequam Pſalmi incipiantur. Poſt expletionem verò trium Pſalmorum, recitetur lectio vna, verſus,* Kyrie eleiſon. *& Miſſæ ſint.*

Conſtitutio.

1. QVia magni intereſt, ſic hæc Prima diei hora ſuo tempore abſoluatur, vt cætera, quæ domi agenda ſunt iuſto ordine ſuccedant. Ideò primus huius

horæ

horæ signum, à tertia decima Septembris, vsq; ad Calendas Nouembris, & à decima Februarij, vsq; ad secundam Aprilis, paulo antè solis ortũ pulsandum est. Item ab ijsdem Calendis Nouembris, vsq; ad decimam Februarij, eius signum in Aurora dabitur. A secunda autem Aprilis, vsq; ad tertiam decimam Septembris orto iam *sole*. Primum signum ad spatium duorum *Misterere* protrahatur, ac interuallum totidem, vltimum verò trium.

2. Prima completa, Conuersus, qui primæ *Missæ* inseruire debet, dictam Missam Campanæ signo significabit, quam Sacerdos hebdomadarius hebdomadæ præteritæ dicere tenetur. Quæ quidem Missa nunquam prætermittenda est, vt omnes EREMITÆ ei possint assistere. Vnde ex nostris nemo omninò sit, qui quotidiè non celebret, aut Sacrum non audiat, quodsi quispiam diebus priuatis Missam audire non poterit. Prioris venia, omittat.

3. Frequentare autem celebrationes nitantur Sacerdotes, cum nullum sit Deo charius holocaustum, quàm ipsum dignissimum Eucharistiæ Sacrificium, in quo tamen nec minus prolixi, nec multũ celeres sint, sed potiùs inter vtrumq; extremum, medium tenentes, deuotè in tanto ministerio se gerant.

4. Post primam igitur, vsque ad tertiam curent omnes Sacerdotes celebrare in communi Ecclesia, sed si nec locus, nec tempus datur. Tunc cum Prioris licentia in priuatis Cellarum Oratorijs faciant. Et qui antè tertiam non poterit; postea celebret, dummodo

non ſit tempus orationis, vel Miſſæ Conuentualis ſinè expreſſa licentia.

5. Curet hebdomadarius, vt Tertia finitâ vel Nona, antè Altare præparatus inueniatur. Miſſam conuentualem celebraturus. Qui etiam die Dominico aquâ benedicta, omnes quot ſunt in Choro, & Eccleſia, aſperget, vt in Miſſali habetur, ad quam aſperſionem omnes in Choro ſtare debent, nulloq; modo genuflectere. In fine autem Miſſæ, fratres more ſolito, communicabit, & Sanctiſſimi Sacramenti formas in Tabernaculo reſeruatas mutabit, ſeù renouabit.

6. Nunquam apud nos Miſſam cantare fas fuit, ſed in ſimplicitate EREMITICA, deuotè, voce ſuaui, & cum debitis cæremonijs, excepto Sabbato Sancto, & vigilia Pentecoſtes.

7. Decretum eſt, illis tantum indumentis, Sacerdotibus, ſeù ornamentis vtendum eſſe, quæ ad celebrandum ſunt omninò neceſſaria, ideſt ſiné pluuiali, Tunicella, alijs Pontificalibus ornamentis. Atq; in Miſſis quantumvis ſolemnibus vltrà vnum Miniſtrum adhiberi nefas erit, qui Miniſter in maioribus ſolemnitatibus, in quibus Maior, aut Prior celebrat, Clericus erit. In alijs omnibus ſufficit Conuerſus, qui Clericum, vt ſuprà iuuabit in thure Miniſtrãdo, ac in Sacrario Sacerdoti, dum ſe induit, ac exuit, inſeruiet.

8. In ſolemnitatibus primæ Claſſis, in quibus ſuperior celebrat, & in Communi Refectorio omnes reficiuntur, ac in tribus Miſſis Natiuitatis Domini, nec non in triduo hebdomadæ Sanctæ, in Miſſa Conuentuali

incensatur Altare, in qua turificatione modus, & Ordo Missalis Romani seruandus est: Euangelium pariter sinè aliqua particulari cæremonia in prædictis fæstis dicitur, præter incensum.

9. Quando sit dicendus hymnus *Gloria in excelsis Deo* Rubricæ Missalis Monastici monent.

10. Pax omnibus Dominicis totius anni, omnibusq; diebus festiuis de præcepto; Clericus enim hebdomadarius pacem osculandam celebranti porriget, mox adsistentibus Cunctis, incipiendo à Prælato, vel seniori vsq; ad vltimum, dicens vnicuiq; *Pax tecum* & altero respondente, *Et cum Spiritu tuo*.

11. Omnibus Dominicis ab illo Sacerdote, qui primam Missam celebrabit, benedicenda est aqua, depositâ prius planeta, & manipulo, sed cum stola, idq; in Sacrario: In alijs autem occasionibus, in quibus stola adhibenda est, sicut in Reliquiarum ostensione, & similibus, assumet Sacerdos suum palium, seù superpellicium, stola superposita. In ministrandis autem Infirmis Sacramentis Eucharistiæ, vel vnctionis extremæ. Rituale Romanum obseruabitur.

12. Quando priuatæ Missæ in maiori Altari Ecclesiæ celebrandæ erunt festiuis diebus, antequam Sacerdos, ad Altare accedat, signum detur vnius saltem *Aue Maria* cum quinq; ictibus in fine; sed ad primam Missam, & Conuentualem signum alterum dabitur vnius *Pater noster*, & *Aue Maria* cum quinq; pariter ictibus in fine, antequam Sacerdos sacris induatur vestibus.

13. Cum in Missa dicitur Sanctus, & ad eleuationem Corpo-

Corporis Christi, si Missa priuata fuerit, cum tintinabulo ad hoc parato; si Conuentualis, cum magna Campana signum, fiet spatio vnius *Aue Mariæ*, pro qualibet vice. Quo audito omnes vbicunq; fuerint genuflectant, & capite aperto Deum in tanto Sacramento humiliter adorent. At quando in præcipuis festiuitatibus Maiorem, aut Priorem celebrare contingit, tunc prædicta signa fiant cum magna, & parua simul campana, quod pariter ad *Gloria in Excelsis*, obseruandum est.

14. Sacerdotes qui non prȩsto sunt, quando debent in Sacrario quinq; ictibus magnæ Campanæ vocentur, Ministri verò tribus. Qui omnes solliciti ad hæc esse debent, ac se inuicem præuenire præcipuè seruientes.

15. Sed quià Missarum celebrationi lumina adesse debent ad Conuentualem in duplicibus, & semiduplicibus festiuitatibus, Dominicis, ac infra octauas ijdem Cerei, qui laudibus inseruierunt, inseruient. In simplicibus, ac ferialibus diebus duæ Candelæ duarum vnciarum ponderis ardeant, sicut in omnibus priuatis Missis, excepta Dominica palmarum, & vigilia Pentecostes, in quibus quatuor Cereoli, quatuor vnciarum ardebunt.

16. Rursus semper antè Altare maius duo Cerei in magnis Candelabris esse consueuerunt, qui in Missis Conuentualibus ad eleuationem Sanctissimi Sacramenti accendantur, nec donec Sacerdos communicauerit, extinguendi sunt. Quod pariter in minoribus Altaribus fiet, vnico tamen cereo.

Sequitur Regula.



Ertia verò, Sexta, Nona, eodem ordine celebretur idest versus, Hymni earumdem horarum terni Psalmi, Lectio, & versus Kyrie eleison, *& Missæ sint. Si maior Congregatio fuerit cum Antiphonis, si verò minor in directum psallantur. Vespertina autem Synaxis quatuor Psalmis cum antiphonis terminetur, post quos Psalmos lectio recitanda est; indè responsorium, Ambrosianum, versus, Canticum de Euangelio Litaniæ, & oratio Dominica, & fiant Missæ. Completorium autem trium Psalmorum dictione terminetur, qui Psalmi directanei sinè antiphona dicendi sunt, post quos hymnos eiusdem horæ lectio vna, versus,* Kyrie eleison, *& benedictio, & Missæ fiant.*

Constitutio.

1. SIgnum Tertiæ, ab Idibus Septẽbris vsq; ad Pascha, mediâ hora post primam Missam dandum est; & si fortè post Primam non celebretur, ad vnius horæ spatium signum tendatur. A Pascha autẽ, vsq; ad tertiam decimã Septembris, quando non ieiunatur, post horã ac dimidiam, post primam missam, pulsabitur; si verò ieiunatur, semihora tardius.

2. Primum signum tertiæ erit vnius *Miserere*, interuallum duorum, secundum signum Item duorum. In die verò Natiuitatis Domini, & Sancti ROMUALDI tria dantur signa eiusdem mensuræ.

3. Signum Sextæ, quod vnicum est, erit spatij vnius *Pa-*

us *Pater noster,* & vnius *Aue Maria,* quæ in quadragesima consecutiué post tertiam dicitur, ac in vigilia Pentecostes, & quoties deficit Missa ordinaria Tertiæ. In duplicibus, Dominicis, semiduplicibus, simplicibus, & Ferijs, post dictam Missam ordinariam Tertia Sexta semper dicitur.

4. Nona per totum annum ea hora nunciabitur (vt ipsa, quando sola dicitur) finita, & cum Missa, ac Vesperæ subsequuntur, ipsis absolutis adsit meridies, sed in Ieiunio Regulari per mediam horam anticipari poterit. Excipiuntur hinc etiam omnes Dominicæ à Kalendis Nouembris vsq; ad Pascha, nec non dies, in quibus tempore æstiuo fit dormitiò antè Nonam. In quibus Nona, in ipso meridie signatur. Primum ergò signum, quandò dormitur antè nonam, erit duorum *Miserere,* quando verò non dormitur, vnius tantum, sed interuallum, & secundū signū, erit duorum *Miserere.*

5. Vesperæ ab Idibus Septembris vsq; ad Pascha horâ vigesima prima signandæ sunt, exceptis Dominicis quadragesimæ Magnæ, in quibus, & toto tempore à Pascha vsq; ad festum S. CRUCIS Septembris, horâ vigesima significandæ sunt. Primum, & secundum signum erunt duorum *Miserere,* tantundem interuallum erit, at in diebus Ieiunij quadragesimæ vnicum signum vnius *Miserere* sufficit. In festis autem duplicibus ipsa signa longiora esse debent, & in festiuitatibus Natiuitatis Domini ac S. ROMUALDI tria fiant signa eiusdem mensuræ.

6. Completorij tandem signum datur circà vigesi-

mam tertiam horam, sed adstat Sacrista, dum id agit, maximè in æstate, vt post Completorium vsq; *Aue Mariæ* signum, solitæ orationis tempus supersit.. In hyeme autem Completorio finito, statim *Aue Maria* pulsetur, idest à Kalendis Nouembris vsq; ad decimam Februarij. Eadem consideratione vti oportet, cum officium Defunctorum dicendum est, vt eo finito, dicatur *Aue Maria*. Signum Completorij ad tres, aut quatuor ad summum miserere protrahatur. Quando autem Eremitæ omnes in Ecclesia esse noscuntur, breuiari potest diuini officij signum, verum vel vno absente ad iustam mensuram protrahatur.

7. Signum Campanulæ post lectionem Completorij non omittatur, quod vnius *Pater noster*, & *Aue Maria* erit. Venerabile tandem signum Salutationis Angelicæ dicto Completorio post solis occasum pulsabitur. In nocte verò in fine laudum Regularis officij. At in meridie post Nonam, aut Vesperas pro temporis qualitate.

8. Signa tribus vicibus dabuntur, vniuscuiusq; signi spatium erit vnius *Aue Mariæ* cum suis debitis interuallis. Quo audito genuflectant omnes, & aperto capite dicant *Aue Maria*. Sed toto tempore Paschali, & diebus Dominicis à primis Vesperis non genuflectitur.

Quo ordine Psalmi dicendi sint.

CAP XVIII.

IN *primis semper diurnis horis dicatur versus.* Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvan-

iuvandum me feſtina. Et Gloria. *Indè hymnus vniuſcuiuſq; horæ; deindè Primâ hora Dominica dicenda quatuor Capitula, Pſalmi, centeſimi decimi octaui; Reliquis uerò horis, ideſt Tertia, Sexta, & Nona, terna Capitula ſupradicti Pſalmi centeſimi decimi octaui dicantur. Ad Primam autem ſecundæ feriæ, dicātur tres Pſalmi, ideſt primus, ſecundus & ſextus & ità per ſingulos dies ad primam vſq; ad Dominicam, dicantur per ordinem terni Pſalmi vſq; ad decimum nonum Pſalmum, ita ſanè, vt nonus Pſalmus, & decimus ſeptimus partiantur in binas glorias, & ſic fiat, vt ad vigilias Dominicæ, ſemper à vigeſimo incipiatur. Ad Tertiam verò, Sextam, & Nonæ ſecundæ feriæ nouem Capitula, quæ reſidua ſunt de centeſimo decimo octauo, ipſa terna Capitula per eaſdem horas dicantur. Expenſo ergò Pſalmo centeſimo decimo octauo, duobus diebus ideſt Dominico, & Secunda feria, Tertiâ feria iam ad Tertiam ſextam, & nonam, Pſallantur terni Pſalmi, à centeſimo decimo nono, vſq; ad centeſimū vigeſimum ſeptimum, ideſt Pſalmi nouem. Qui Pſalmi ſemper vſq; ad Dominicam per eaſdem horas itidem repetantur. Hymnorum nihilominus, lectionum, vel verſuum diſpoſitione vniformi cunctis diebus ſeruatâ. & ità ſcilicet, vt ſemper à Dominica centeſimo decimo octauo incipiatur. Veſpera autem quotidiè quatuor Pſalmorum modulatione canatur. Qui pſalmi incipiantur à centeſimo nono, vſq; ad centeſimum quadrageſimum ſeptimum, exceptis his, qui diuerſis horis ex eis ſequeſtrantur, ideſt à centeſimo decimo ſeptimo, vſq; ad centeſimum vigeſimum ſeptimum, & centeſimo trigeſimo tertiò, & centeſimo quadrageſimo ſecundo. Reliqui omnes in veſpera dicendi ſunt, qui in numero ſupradicto fortiores inueniuntur, ideſt centeſimus trigeſimus octauus & centeſimus quadrageſimus*

mus

mus sextus, quia paruus est, cum centesimo decimo quinto coniungatur. Digesto ergò ordine Psalmorum Vespertinorum, reliqua idest lectiones, responsoria, Hymni, versus, vel Cantica (sicut supra taxauimus) impleantur. Ad Completorium verò quotidie ijdem Psalmi repetātur, idest quartus, nonagesimus, & centesimus trigesimus tertius. Disposito ordine Psalmodiæ diuinæ, reliqui omnes Psalmi, qui supersunt, æqualiter diuidantur in septem noctium vigilias, partiendo scilicet, qui inter eos prolixiores sunt psalmi, & duodecim per vnamquamq; constituantur noctem. Hoc præcipuè commonentes vt si cui fortè, hæc distributio Psalmorum displicuerit, ordinet, si melius aliter iudicauerit, dummodo omnibus modis id attendatur, vt omni hebdomada Psalterium ex integro numero centum quinquaginta Psalmorum psallatur, & Dominico die semper à capite repetatur ad vigilias. Quia nimis iners deuotionis suæ seruitium ostendunt Monachi, qui minus Psalterio cum Canticis consuetudinarijs per septimanæ circulum psallunt: cum legamus Sanctos Patres nostros vno die, hoc strenuè impleuisse, quod nos tepidè vtinam septimana integra persoluamus.

Constitutio.

I. AD integram perfectamq; regulæ satisfactionem, cum non semper fiat officium de feria; quilibet tùm Sacerdos, tùm Clericus qualibet hebdomada totum Dauid Psalterium siuè ore, siue memoriter priuatim recitabit.

De disciplina psallendi.

CAP. XIX.

VBiq; credimus diuinam esse præsentiam, & oculos Domini in omni loco speculari bonos & malos. Maximè tamen

tamen hoc sine aliqua dubitatione credimus, cum ad opus diuinum assistimus; Ideò semper memores simus, quod ait Propheta, Seruite Domino in timore, *& iterum,* Psallite sapienter, & in conspectu Angelorum Psallam tibi. *Ergò consideremus qualiter oporteat nos in conspectu Diuinitatis, & Angelorum esse, & sic stemus ad Psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ.*

Constitutio.

1. IN omnibus nostræ Congregationis locis, omnes Sacerdotes, ac Clerici tàm Professi, quàm Nouitij, auditò officij signo, quotidiè ad singulas horas, tàm diurnas, quàm nocturnas, ad Ecclesiam properent, ibiq; ante Ss. SACRAMENTUM deuotè, & reuerenter officium persoluant. Quod ità strictè obseruandum est, vt si fortè pauci, Imo si duo, vel vnus tantum in EREMO præsens fuerit, illi duo vel vnus id per se in Ecclesia implere teneantur, sinè cantu tamen, secundum antiquum Stylum, morem, ac consuetudinem Religionis, distinctis verbis, voce clara, concordi, ac sonora, simul incipientes ac pariter desinentes cum debitis pausis, seù punctis, monastico more; Ideò omnes ad quos spectat Psalmos incipere, responsoria, versus, & alia intonare, diligenter aduertant, vt cum voce mediocri, alta, ac sonora id faciant. Qui autem lectiones legunt, semper in eodem tono Chori incipiant, ac finiant, vt alij cōmodiùs eundem tonum sequantur, & præcipuè cum duo simul Inuitatorium, aut Responsorium concinunt,

2. Et ne decor diuini cultus perturbetur, omnes perſeuerantes vſq; in finem officij, maneant in Choro, niſi neceſſitas naturæ indè exire cogat. Neque Prælatus pro aliquo quamvis magno negotio, dum diuinis laudibus cum alijs vacat, interpelletur, neq; ipſe interpellatus foras egrediatur.

3. Officium paruum Beatiſſimæ Virginis MARIÆ quotidiè recitabitur, at quando in Choro non dicitur, Magiſter Nouitiorum cum ſuis Notitijs in Capitulo, vel Sacrario honeſtâ mora perſoluat. Cæteri verò priuatim, vbi voluerint recitabunt.

4. In Choro ſemper recitabitur; exceptis duplicibus, Dominicis, triduo [redacted] hebdomadæ Sanctæ infrà octauas B. Virginis, vigiliæ Natiuitatis, & Epiphaniæ Pentecoſtes, & Aſſumptionis, & in ſemiduplicibus, ſolum excipies Matutinum, quod item obſeruandum in loco Capituli Generalis, quando ſuo debito, & ordinario tempore, celebratur, durante ipſo Capitulo propter noctium breuitatem.

5. Defunctorum officium in Choro ſemel in hebdomada recitandum, exceptâ hebdomada Sancta, Paſchatis, Pẽtecoſtes, & infrà octauam Epiphaniæ, applicata tamen ſemper miſſa, etiam ſi omittatur officium, quo officio Rubricæ Breuiarij præcipientis talem officij recitationem prima quoq; die menſis non impedita, fit ſatis. Declarantes propter Anniuerſaria, quæ fiunt, per annum, tolli obligationem talis Defunctorum officij prima menſis non impedita, & cuiuslibet hebdomadæ in quadrageſimis.

6. Et

6. Et quia modestia, & reuerentia interior,non parum interiorem deuotionem iuuat, ideò quilibet pro virili cæremonias, maximè quæ in Choro fiunt cantari solent, seruare studeat. Jllicitum quippè imò turpe reputatur, si stantes in Choro ad aliquam sedilium partem dorsum, latusuè reclinent, aut cubitis innitantur, nisi Senectus, vel infirmitas defectum excuset, quod tamen omni modestiâ, grauitateq; fiat, nè scandalo, aut admirationi Nouitijs, ac Iunioribꝰ sint. Tandem quando omnes genuflexi manent, Chorus, Chorum alterum respiciat.

7. Verùm superior, cum post Cantica *Magnificat*, & *Benedictus* altâ voce totum recitat *Pater noster*, stabit versâ facie ad Altare. Stabit item, quando dat benedictiones, stat etiam Hebdomadarius, quando recitat orationes.

8. Capitis profundæ inclinationes, semper fiunt, & *Gloria Patri*, in Hymnorum vltimis versibus ad Sanctus, Sanctus &c. *Fiat misericordia tua Domine &c.* *Te Deum laudamus.* Ad *Te decet laus &c.* post lectum Euangelium in Matutino: ad Primam in secundo Hymni versu. *Deum precemur supplices &c.* Ad tertiam cum dicitur. *Nunc Sancte nobis &c.* & *Veniat super nos misericordia &c.* Ad Vesperas, quando dicitur. *Sit nomen Domini benedictum.* quando dicitur *ò Gloriosa Domina*, & *Maria Mater gratiæ &c.* ac tandem quoties nominatur IESUS, & MARIA inclinetur caput.

9. Cum in hymno *Pange lingua &c.* dicitur *Tantum ergò quæsumus &c.* & in festiuitatibus Beatæ Virginis

primæ aut ſecundæ Claſſis, quando intonatur *Aue Maris ſtella &c.* ac in Pentecoſte ad *Veni Creator Spiritus &c.* genuflectendum ad primos quatuor verſus vtriuſque hymni, ſicut in hymno Crucis in verſibus, *O Crux aue ſpes vnica &c.* ad primos duos verſus tantum quod pariter toto paſſionis tempore obſeruandum erit, & ſemper in Pſalmo *Venite exultemus*, ad verba, *Venite adoremus, & procidamus ante Deum &c.*

10. Ad omnes lectiones, & Reſponſoria, exceptis officij parui B. MARIÆ, & in initio Euangelij, quod antè lectiones homiliæ recitatur, ſedebunt.

11. Dum Pſalmi canuntur, ac Cantica veteris Teſtamenti, & lectiones in officio regulari legũtur, ac mortuorum, operto capite manebunt, exceptis lectoribus, qui nudum, aut ſeminudum pro temporis qualitate habebunt, & ſic in hyeme in Choro inter vtrumque ſignum omnes operto, in æſtate aperto capite erunt.

12. Jn omnibus alijs, quæ ad cultum diuinum pertinent, aut ſuis Cæremonijs, & obſeruantijs, tàm in Eccleſia, & Choro, quàm extra, ab Idibus Septembris vſque ad Paſcha Reſurrectionis, dimidium capitis detegitur, & à Paſchate vſq; ad Idus prædictas, totum opertum tenetur. Excipe tamen toto anni tempore principium diuini officij, quouſq; pſalmi cantari incipiant, quando legitur Euangelium, aut eleuatur Ss. SACRAMENTUM, quovſq; Sacerdos (aut alij ſi qui ſint) cõmunicauerit, quando datur ſignum ſalutationis Angelicæ, quando dicitur *Salue Regina*, aut alia ſimilis Antiphona, in quibus totum caput aperiendum.

NB

13. Ad

13. Ad hanc autem obseruantiam non adstringuntur infirmi, nisi in quantum ipsis videbitur, & placuerit, dummodo omnia faciant sciente, & consentiente superiore, qui poterit, & post Pascha & ante Idus Septembris, si fortè nimirum frigescet, dispensare, vt quisque saltim dimidium caput operire valeat, sicut in hyeme.

14. In Cæremonijs cum decore faciendis, multum iuuat vna omniũ conformitas, vt scilicet omnes simul, & semel æqualiter caput aperiant, & operiant. Si item in erigendo se, & inclinando, incipiẽdo aliquid, & finiendo, genuflectendo, & assurgendo, & tandem in omnibus, idem tempus, eundem domum, formam deniq; ac mensuram eamdem obseruent.

15. Finito verò officio nemò exurgat, nisi superior erectus incipiat abire, aut signum dederit discedendi, ipso in Choro remanente. Studeant insuper, non solum in Cæremonijs conformes per omnia esse, sed etiam in vestitu, incessu, & cæteris omnibus.

16. Jntrent in Ecclesiam cum modestia, habitu cõposito, solitisq; vestibus, & signanter cum pallio, sinè quo nullus (etiam si hospes fuerit) chorum aut Refectorium intrare præsumat: Et si quis hospes sæcularis, aut Regularis illuc ingressus fuerit, per Sacristam blandè prius admonitus extrahatur, nisi à Priore, vel de eius licentia introductus fuerit.

17. Processiones, quæ licet apud nos non sint in vsu sicut in sæcularium Ecclesijs, fieri tamen debent, quando præcipiuntur à summo Pontifice, ad conse-

quendas Indulgentias, quæque à Miſſali præſcribuntur, in quibus Ritualis Romani ordo omninò ſeruandus eſt.

18. In Proceſſionibus Feriarum Quintæ, & Sextæ maioris Hebdomadæ, ſinguli EREMITÆ, ſingulas candelas duarũ vnciarum accenſas geſtabunt, quod ad honorẽ Ss. SACRAMENTI inconcuſſe obſeruabitur, quod item faciendum, cum ad tumulum deferũtur Defuncti. Duarum pariter vnciarum erunt Candelæ, quæ in triangulo dicta Sacra hebdomada ad Matutinum accenduntur; illæ verò quæ in Altari ad Crucis adorationem accenduntur, trium vnciarum erunt: eiuſdẽ item ponderis debent eſſe tres illæ, quæ nouo igne primæ in arundine accenduntur Sabbato Sancto, & tales erunt illæ, quæ in die Purificationis EREMITIS diſtribuuntur; priuatis in cellulis conſeruandis.

19. Cereus autem Paſchalis ſex librarum circiter erit, qui à die Sabbathi Sancti, vſq; ad Aſcenſionem Domini, completo Euangelio dicti Feſti in Miſſis conventualibus, Veſperis, ac Laudibus perpetuò ardebit.

20. Cera, quæ in noſtris Eccleſijs conſumitur debet eſſe alba exceptis illis cereis, quæ in triduo Maioris hebdomadæ in officijs, & Miſſa feriæ ſextæ inſumũtur, & in Anniuerſario omnium Defunctorum, quę erunt ceræ communis.

21 Ad Crucem feriâ Sexta in Paraſceue adorandam, Celebrans depoſitis ſolum crepidis alij verò EREMITÆ pedibus nudis, ſingillatim peragant, ſecundum eorum gradum, quod pariter ad mandatum in die

Cæ-

Cænæ Dñi obſeruabunt. Prophetiæ Sabbathi Sancti, ac Vigiliæ Pentecoſtes, inter Clericos, & Sacerdotes diſtribuuntur, ſecundum ſuperioris ordinem, ſemper verò à Iunioribus, ac vltimis ſumatur initium.

De reuerentia Orationis,

CAP. XX.

SI cum hominibus potentibus volumus aliqua ſuggerere, non præſumimus, niſi cum humilitate, & reuerentia, quanto magis Domino Deo vniuerſorum cum omni humilitate, & puritatis deuotione ſupplicandum eſt, & non in multiloquio, ſed in puritate cordis, & compunctione lachrymarum nos exaudiri ſciamus? & ideò breuis debet eſſe, & pura oratio, niſi fortè ex affectu inſpirationis diuinæ gratiæ protendatur. In Conuentu tamen omninò breuiter, & facto ſigno à Priore, omnes pariter ſurgant.

Conſtitutio.

1. QVamvis EREMITICA vita continua debeat eſſe oratio, illa tamen cõmunis quam hic Sancta præcipit Regula breuis erit, vnius ſcilicet horæ ſpatij bipartiti bifariã, mediæ ſcilicet horæ de mane, & mediæ pariter de ſero poſt cõpletorium. Oratio tẽpore æſtiuo, à Paſcha videlicet Reſurrectionis, vſq; tertiam decimam Septẽbris, propter noctiũ breuitatem, poſt nonã erit, niſi ieiunetur, ſi verò Ieiunatur, poſt Sextæ. Hyemis verò tempore poſt Matutinas Laudes fiet.

2. Signum verò tàm primum, quàm ſecundum Orationis, erit Campanulæ, ad ſpatium vnius *Aue Maria*, cum quinque ictibus in fine, quod ſemper omnique tem-

tempore obſeruabitur, etiam ſi oratione completa pulſetur ſignum *Aue Maria*, quæ oratio in communi fiat, ideſt ſtatim completo Matutino in hyeme, ac ſtatim finitâ Nona, aut Sexta in æſtate, ac illico finito completorio toto anni curſu, cum non debeant EREMITÆ á Choro, Eccleſia, aut Cappellis diſcedere, niſi oratione completa, exceptâ vrgente aliqua neceſſitate, ac veniâ à ſuperiore acceptâ, & conuerſi qui non adſunt, accedant ad Eccleſiam anticipatè, ità vt ad ſignum orationis ſint ibi præſentes: Officium Beatiſſimæ Virginis immediatè poſt, à Nouitijs recitabitur.

3. Solliciti ſint noſtri EREMITÆ lucrari Indulgentiam vulgo dictam, *Exaudiat*, ſpecialiter noſtræ Congregationi ab VRBANO VIII. conceſſam. Jllas PAULI V. & alias ſi quæ ſint. Meminerint etiam omnes præter hanc præſcriptam, orandi tempora, formamq; per breues aſpirationes ardenti deſiderio frequenter iaculatas, orationi incũbere, ſic enim adimplebitur, quod ſcriptum eſt; oportet ſemper orare & non deficere, & illud *Orate ſinè intermiſſione*. Hic ſiquidem vitæ EREMITICÆ finis eſt.

De Decanis Monaſterij.

CAP. XXI.

SI maior fuerit Congregatio, eligantur de ipſis fratres boni Teſtimonij, & Sanctæ Conuerſationis, & Conſtituantur Decani, qui ſollicitudinem gerant ſuper Decanias ſuas in omnibus ſecundum mandata Dei, & præcepta Abbatis ſui. Qui Decani tales eligantur, in quibus ſecurus Abbas par-

partiatur onera sua, & non eligantur per ordinem, sed secundum vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam. Quod si quis ex eis aliqua fortè inflatus superbia repertus fuerit reprehensibilis, correctus semel, & iterum, & tertiò, si emendare noluerit, deijciatur, & alter in loco eius, qui dignus sit, subrogetur, & de Præposito eadem constituimus.

Constitutio.

1. QVamuis apud nos Decani non eligantur, magna tamen sollicitudo, curaq; particularis, ergà nouiter Professos adhibenda est; Ideoq; statuitur, vt Nouitij post emissam professionem, etiam per annum sub cura, & disciplina Patris Magistri maneant, quo anno post Professionem durante, etiam si Sacerdotes sint, vocem in Capitulo minimè habeant, culpamq; cum alijs Nouitijs dicent, post dictum tempus, loci Prior curabit, vt bis in hebdomada in suam cellam euocati, suorum Spiritualium exercitiorum exactam rationem reddant, etsi Clerici fuerint, in materia etiam SACRAMENTORUM eos erudiat, quod si Prior fuerit impeditus, alium ad hoc idoneum Sacerdotem subrogabit, alias pænæ Patrum visitatorum arbitriæ subiaceat.

Quomodo dormiant Monachi.

CAP. XXII.



SInguli per singulos lectos dormiant. Lectisternia pro modo conuersationis, secundum dispensationem Abbatis sui accipiant, si fieri potest omnes in vno loco dormiant: si autem multitudo non

 sinit,

ſinit, deni, aut viceni cum ſenioribus ſuis, qui ſuper eos ſollicitè ſint, pauſent. Candela iugiter in eadem Cella ardeat vſq; mane. Veſtiti dormiant, & cincti cingulis, aut funibus, & cultellos ad latus non habeant, dum dormiunt, nè fortè per ſomnium vulnerentur dormientes. Et parati ſint Monachi ſemper, vt facto ſigno, abſq; mora ſurgentes feſtinent inuicem ſe præuenire ad opus Dei, cum omni tamen grauitate, & modeſtia. Adoleſcentiores fratres iuxtà ſe non habeant lectos, ſed permixti ſint cum Senioribus: ſurgentes verò ad opus Dei, inuicem ſe moderatè cohortentur propter ſomnolentorum excuſationes.

Conſtitutio.

1. DOrmiant noſtri EREMITÆ ſoli ſemper in ſuis Cellulis, niſi extrà EREMUM, vel in itinere cum Socio dormire neceſſitas cogat. Induti, ac veſtiti, pręcinctiq; eiſdem veſtibus (pallio, ac tibialibus ad eorum arbitrium exceptis) quibus per diem amicti incedunt, quas neq; itineris, neq; æſtus causâ exuere licet, neqúe vnquam fas ſit ſola tunica, neqúe ſolo tunicello vti; ſi quis ſecus fecerit, ter in pane, & aqua ieiunet. Omni modeſtâ cōpoſitione, at non ſupini quieſcant. Sint autem ſollieiti antè primam noctis horam cubitum ire, vltra quam ſinè ſuperioris licentia immorari non licet, & tranſgreſſor, culpam in Capitulo dicat.

NB

2. Lectuli ex ligneis tabulis ſimplici ſchemate compoſiti ſint, & vniformes, quibus pro culcitra, ſtramenta palearum apparentur, & ſi alicui magis placuerit ſtorea cōcedatur, plumea verò culcitra, aut laneo ana-

cli

cliterio, ac linteaminibus penitus, & in perpetuum denegatis.

3. Opertoria omnibus vniformia dentur, nempè ſtragula Dalmatina, vulgò ſclauinæ, villoſa, & aſpera, numquam meliora, ac lanea permittantur, cui verò vnum opertorium non ſufficit, addatur ſecundum, & non vltra.

4. Pro ceruicali, ſacculus paleis ſimiliter plenus ſingulis lectis adaptetur, plumeum namq; aut laneum EREMITAM habere ſtrictè prohibetur.

5. Verùm quæ de auſteritate lectiſternij dicta ſunt ad infirmos, & debiles, ſenioq; confectos non extenduntur, cum quibus ſuperior arbitrio ſuo charitatiuè poterit diſpenſare.

6. In hoſpitio forēſium, ac Peregrinorum eiuſdem formæ, & ornatus, lectuli parentur.

De Excommunicatione Culparum.

CAP. XXIII.

SI quis frater contumax, aut inobediens, aut ſuperbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius exiſtens Sanctæ Regulæ, & præceptis Seniorum ſuorum contemptor repertus fuerit. Hic ſecundum Domini noſtri præceptum admoneatur ſemel, & ſecundò a Senioribus ſuis; ſi non emandauerit, obiurgetur publicè coram omnibus, ſi verò neq; ſic correxerit, ſi intelligit qualis pœna ſit, excommunicationi ſubiaceat: ſi autem improbus eſt, vindictæ Corporali ſubdatur.

Constitutio.

1. HOc, & alijs sequentibus Capitulis, de excommunicatione agit Sanctus Pater, pænaq; culpis infligenda; At quia inter nos non viget excommunicatio regularis, & Ecclesiastica, maiorem requirit tractationem; ideò hic solũ de pænis culpis dandis, tractabitur.

2. Multâ prudentiâ, sagaciq; Iudicio Superiores, iustâ quasi trutina librent, non solum culparum qualitates, earumq; circumstantias, verùm etiam, & conditiones, ingeniũ, naturamq; errantium considerent, aut salubri conuenientiq; remedio vtantur; sæpè enim pharmacus, quod vni prodest infirmo, alteri nocet, ideoq; aliter Iuuenis, sensualiter, vno modo, qui ex malitia, alio, qui ex fragilitate deliquit, corrigẽdus erit. His ac alijs similibus considerationibus ad culparum correctionem deueniat superior, vt humilibus parcat, superbosq; deprimat.

Qualis debeat esse Excommunicationis modus.

CAP. XXIV.

SEcundum modum culpæ excommunicationis vel disciplinæ debet extendi mensura. Qui culparum modus in Abbatis pendeat iudicio. Si quis tamen Frater in Leuioribus culpis inuenitur, tantum à Mensæ participatione priuetur. Priuatus autem à Mensæ Consortio, ista erit ratio, vt in Oratorio Psalmum, aut Antiphonam non imponat, neq; lectionem recitet, vsq; ad satisfactionem. Refectionem autem cibi

post

post fratrum refectionem solus accipiat, mensura, vel hora, qua præuiderit Abbas ei competere, vt si verbi gratia *fratres reficiat sexta horâ, ille frater nona, si fratres nona, ille vespertina, vsq; dum satisfactione congruâ veniam consequatur.*

Constitutio.

1. SCiebat vtiq; Sanctus Pater scriptum esse, pro mensura peccati erit, & plagarum modus: Ideò ne à recto Iustitiæ tramite declinemus, culparum qualitates nosse, aliæ enim leues, aliæ graues, grauiores, aliæ gravissimæ.

2. Declaratur itaq; leues culpas esse intelligendas, errores, seù transgressiones illas Regulæ, & Constitutionum, quæ parui momenti esse noscuntur, veluti sunt defectus, qui circa cæremonias admittuntur, puta non genuflectere, non operire, vel operire caput debito tempore, vel hora, tardè ad Chorum, seù Ecclesiam venire, silentium paucis verbis violare, vas aliquod, vel aliud incautè frangere, & huiusmodi innumera. Animaduertendum tamen est, has culpas de sui natura leues, malitiâ, seu deprauatâ intentione, & ex consuetudine, graues fieri posse. Æquum igitur erit leuiores culpas mitioribus pænis deleri, quæ licet arbitrariæ sint, poterit tamen delinquens verborum secretâ admonitione primò, deindè si opus est publicâ reprehensione corripi: mox aliquâ leui pænitentia, puta Psalmum dicere quinquagesimum, aut Coronã Domini, abstinere à fructibus, vino, vel pitantia, ac protestationem coram omnibus facere, terram osculari, & simile.

3. Graues autem culpæ sunt, si frater cum fratre intrà, vel extra EREMUM lites, contentionesuè habuerit, si quis alicui fratri opprobrium dixerit, si quis mendacium de Industria dixisse deprehensus fuerit, si quis silentium violare in consuetudinem duxerit, si quis silentium in Ecclesia, Sacrario, aut Capitulo sinè necessitate procaciter fregerit. Si quis ieiunia regularia sinè causa, & licentia non seruauerit, & similibus; Pæna autem graui culpæ debita, erit, vt deliquens culpam suam dicat in Capitulo, & ieiunet in pane, & aqua semel, vel pluries ad arbitrium Prioris, fratrum pedes deosculetur, dicat semel, vel pluries septem Psalmos pænitentiales, & cætera huiusmodi. Declarātes, quod vbi in Constitutionibus dicitur, quempiam grauiter esse puniendum, aut corigendum sinè addito, intelligendum de similibus pænis hic supradictis.

De grauioribus culpis.

CAP. XXV.

SI autem frater, qui grauioris culpæ noxa tenetur, suspendatur à mensa simul, & ab oratorio: nullus ei fratrum in vllo iungatur consortio, neq; in colloquio; solus sit ad opus sibi iniunctum persistens in pænitentiæ luctu, sciens illam terribilem Apostoli sententiam, dicentis. Traditum huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt Spiritus saluus sit in die Domini. *Cibi autem refectionem solus percipiat, mensura, vel hora, quæ præuiderit ei Abbas competere, nec à quoquam benedicatur transeunte, nec cibus, qui ei datur.*

Con.

Conſtitutio.

1. HIc de culpis grauioribus agitur, quæ ſunt, quando EREMITA deliberato animo id agere non dubitat, quod à ſuperiore, vel publicè, vel ſibi priuatim vetitum, vel è contra noluerit agere, quod impoſitum eſt.

2. Grauiores etiam culpæ ſunt, contumacia videlicet, rebellio, iniuriæ illatio, percuſſio, blaſphemia, contemptio Regulæ & Conſtitutionum, ſed multò magis mandatorum DEI & Eccleſiæ, quæ quidem abſque peccato mortali operari non poſſunt, & hæc pauca pro exemplo poſita ſufficiant.

3. Attamen nè hic ſuperiores temerè, nimis citò murmuratoribus credentes, extrà ordinem aliquando procedant, quoties iſta corrigenda ſunt, ſuperior, ad quem pertinet, præmiſſa diligenti inquiſitione, niſi reus crimen confiteatur, & duorum ſaltem teſtium aſſertione ad caſtigationem iuſtis conſiderationibus perſonæ, & delicti, adhibitis, cum timore, & charitate procedat, quæ quidem in ſcriptis redigenda ſunt, vt Capitulo Generali, aut Dietæ conſtet, ſuperiores, contrà delinquentes Iuridice proceſſiſſe.

4. Pœnæ quidem pro his grauioribus delictis infligendæ, & ſi ad arbitrium ſuperiorum relinquuntur, aliquæ hic ad exemplum enarrantur, vt pane, & aqua in Communi Refectorio in terra refici, toties quoties Prælato videbitur expedire, diſciplinam circularem publicè in Capitulo culparum ſuſcipere, vel à ſe ipſo

ſemel,

semel, vel pluries facere. aut ante ostium Ecclesiæ, seu Chori iacere, super quem omnes transire, ac etiã discretè calcare debeant, consortio fratrum eum penitus priuare, in propria Cella sequestrare, delinquentem degradare, idest infra omnes sui Ordinis ponere, eum voce actiua, & passiua priuare, & si fuerit Prælatus, eum deponere: carceri mancipare, ibiq; ieiunijs, abstinentijs, flagris, manicis, ac compedibus ferreis, affligere, ac grauare, & similibus pænis mulctare. Declarando Corporis pænam infamiam non afferre, nec priuationem, aut ad officia inhabilitatem, nisi delictum, propter quod datur carcer, de sui natura, inhabilitatem, aut infamiam afferat.

5. Et si quispiam contra Castitatem, quod Deus auertat, deliquerit, carceretur, ibiq; abstinentijs, disciplinis mulctetur; Etsi peccatum etiam sæcularibus innotuerit, ijsdem alijsque ad Patrum Maioris, & Visitatorum arbitrium, pænis puniatur. Quod si delinquens fuerit Prælatus, deponatur, & alijs pænis ad Patrum superiorum, vt supra, arbitrium mulctetur.

NB — 6. Sed nè Iustitiæ prætextu scandala oriantur: præcipitur, vt semper leuibus culpis, secretæ dentur pænitentiæ.

De his qui sinè iussione Abbatis iunguntur excommunicatis.

C A P. XXVI.

SI quis præsumpserit sinè iussione Abbatis, fratri excommunicato, quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, vel

vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam.

Constitutio.

IVxta Sacræ Regulæ præscriptum nemo cum Carceratis loquatur, neuè eis auxilium, fauorem, aut aliquod adiutorium præbeat, declarantes eos, qui captos ad fugam hortati fuerint, vel consilium, siuè auxilium quocunq; modo dederint, quin etiam si eos velle fugere sciuerint, & non superioribus reuelauerint, eadem Carceris pœna plectantur. Reliqui verò (excepto Carceris Ministro) qui allocuti eos fuerint, grauiter puniantur. Quod & de sequestratis in Cella, & silentio constrictis, intelligatur.

Qualiter debeat esse Abbas sollicitus circà Excommunicatos.

C A P: XXVII.

OMni sollicitudine curam gerat Abbas circà delinquentes Fratres, quia non est opus sanis Medico, sed malè habentibus, & ideo vti debet omni modo, vt Sapiens Medicus immittere quasi occultos Consolatores senipetas, idest Seniores sapientes Fratres, qui quasi secretè consolentur Fratrem fluctuantem, & prouocent eum ad humilitatis satisfactionem & consolentur eum, nè abundantiori tristitiâ absorbeatur, sed (sicut ait Apostolus) confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus. Magnoperè enim debet sollicitudinem gerere Abbas, & omni sagacitate, & Industriâ curare, ne aliquam de ouibus si-

bi creditis perdat. Nouerit se infirmarum curam animarum non super sanas tyrannidem exercere; & metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus. Quod Crassum videbatis, assumebatis, & quod debile erat proijciebatis, *& Pastoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta nouem ouibus in Montibus, abijt vnam ouem, quæ perierat quærere. Cuius infirmitati in tantum compassus est, vt eam sacris humeris suis dignaretur imponere, & sic reportare ad gregem.*

Constitutio.

SEquantur Sanctæ Regulæ doctrinam omnes, qui alijs præsunt. Discant inquam errantem ouem quęrere, inuentam humeris suis imponere, ac tandem ad gregem reducere. O quàm peruersè agunt Pastores illi, quin etiam contagiosos hircos blanditijs demulgent, mansuetas autem oues, atq; fætosas vbiq; percutiunt, & irritant: sed væ illis, ac animabus illorum, qui strictam rationem de animabus illorum reddent, qui culpâ, & negligentia eorum perierunt.

De his qui sæpius correcti non emendauerint.

CAP: XXVIII.

SI quis Frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendauerit, acrior ei accedat correptio, idest verberum vindicta in eum procedat, quod si nec ità correxerit, aut fortè (quod absit) in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua, tunc Abbas faci-

rum iuerit, ad mensem pæna Carceris, alijsq; pænitentijs Superiorum arbitrio puniatur.

5. Sed si quispiam ad Patrem maiorem sinè eius licentia, pro recursu iuerit, pari pænâ puniatur, nisi causam sui recursus probauerit, à D. P. Maiore iudicanda.

De Pueris minori ætate qualiter corripiantur.

CAP. XXX.

OMnis ætas, vel intellectus, proprias debet habere mensuras; Ideoq; quoties Pueri, vel Adolescentes ætate, áut qui minus intelligere possunt, quanta pæna sit excommunicationis. Hi tales cum deliquerint, ieiunijs nimis affligantur, aut acribus verberibus coerceantur, vt sanentur.

Constitutio.

CVm in nostra Congregatione adultâ Nouitij recipiantur ætate, nihil de pueris, aut Iunioribus, de quibus in hoc Regulæ Capite fit mentio, ad nos pertinebit. Non enim illis robur naturæ inest ad EREMI labores perferendos, neq; mentis discretiò ad tentationum fluctus superandos.

Qualis debeat esse Cellerarius Monasterij.

CAP. XXXI.

CEllerarius Monasterij eligatur de Congregatione Sapiens, maturus moribus, non multum edax, non ela-

tus

tus non turbulentus, non iniuriosus, non tardus, non prodigus, sed timens Deum. Qui omni Congregationi sit sicut Pater. Curam gerat de omnibus, sinè iussione Abbatis nihil faciat, quæ iubentur custodiat, Fratrem non contristet. Si quis autem Frater ab eo aliqua fortè irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter cum humilitate malè petenti, deneget. Animam suam custodiat, memor semper illius Apostolici præcepti. Quià qui benè ministrauerit gradum bonum sibi acquirit. Infirmorum Infantium hospitum, pauperumq; cum omni sollicitudine curam gerat, sciens sinè dubio, quia pro his omnibus in die Iudicij rationem redditurus est. Omnia vasa Monasterij, Cunctamq; substantiam ac si Altaris vasa sacrata conspiciat, nihil ducat negligendum, neq; auaritiæ studeat neq; prodigus sit, aut extirpator substantiæ Monasterij, sed omnia mensuratè faciat, & secundum iussionem Abbatis sui. Humilitatem antè omnia habeat, & cui substantia non est, quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, quia scriptum est, Sermo bonus super datum optimum. Omnia, quæ ei iunxerit Abbas, ipse habeat sub cura sua, à quibus cum prohibuerit, non præsumat. Fratribus constitutam Annonam sinè aliquo typo, vel mora offerat, vt non scandalizentur, memor diuini eloquij, quid mereatur, qui scandalizauerit vnum de pusillis. Si Congregatio maior fuerit, solatia ei dentur, à quibus adiutus & ipse æquo animo impleat officium sibi commissum. Horis competentibus dentur, quæ danda sunt, & petantur, quæ petenda sunt, vt nemo perturbetur, neq; contristetur in Domo Dei.

Con-

Constitutio.

1 QValitates, & onera Cellerarij tam exactè depinxit hic Sanctus Pater, vt omnes nostrorum locorum Cellerarij, hoc Regulę Sanctę Caput, non solum legant attentè, ac sæpè, sed etiam omnia in eo contenta strenuè adimplere nitantur.

2 ELigatur itaquè Cellerarius à Capitulo Conuentuali, qui saltem Professionis suę quinque annos habeat, exceptis Cellerario, ac Censuario Abbatię Montis Coronę, qui à Capitulo Generali eliguntur, quē Cellerarium loci Prior proponet, qui si non probetur à Capitulo, alterum proponet, & si etiam hic improbetur, denuncietur superioribus, qui opportunè prouidebunt, & si infra annū necesse sit, de Cellerario prouidere possit Prior, de consensu superiorum.

3. Sit talis Cellerarius, qui si non omnes, saltem prę cipuas conditiones in Sancta regula requisitas habeat, & quemadmodum illi omnium rerum (cum superioris tamen autoritate) cura, & administratio committitur, ità ipse codicem rationum conficere teneatur, in quo data, & accepta ab eo fideliter notata, distinctè appareant intus in scriptura, foris verò per Abacum. Item alium habeat Codicem, in quo debita, & credita, statusq; domus pariter appareat, quibus adde, & Libellū diūrnū, seú diuturnalem nuncupatū, in quo breuiter quidem, sed exactè cuiuslibet diei expensas, & exactiones describet.

4. Ad eius ergò curam pertinebunt omnia Eremi bona, mobilia, & Immobilia, reditus & prouen-

tus, siuè in pecunijs, siuè in fructibus consistant. Eius item erit credita exigere, debitaq; iusto tempore ac sinè mora Creditoribus soluere, caueat nè cum pauperibus, qui non sunt soluendo, durè, rigidèuè procedat. Lites, ac controuersias fugiat, temporaliũ rerum, sed quando necesse sit de aliquo interesse tractare, modis debitis, omnia media, ac remedia concordiæ prius tententur. Ad ipsum parum spectabit necessaria emere, superflua, quę superabundant, Domi vendere. Annonam insuper, & quęcunq; ad Eremitarum victum pertinent, diligenterq; ac prudenter colligere, ac prouidere, & in locis aptis collocata sapienter conseruare.

5 Ea verò, quę ad fratrum indigentias spectant, siuè vestimentorum, siuè suppellectilium Cellarum, siuè alimoniorum, diligenter parare debet, non singulatim, minutimue eas indies emendo, sed in notabili summa, vel quantitate, temporibus, locisq; opportunis, semel, vel bis in anno, dando prius superiori schedulas rerum emendarum, & secundum suum placitum omnia operentur.

6 Curet autem, vt vasa omnia, tám quę mensę deseruiunt, quam quę in cęlla communia, vel priuata, & pręcipuè sciphi, seù crateres, quibus bibimus, omnia Lutea, vel fictilia sint, aut certè lignea, nec vnquã vitrea, seù alterius cuiuscunq; rei in vsum deduci queant. Idque etiam in hospitum hospitijs seruandum erit. sicut prouidus Paterfamilias ea curet emere, nec propter rerum inopiam, iusta petentibus, negare cogatur.

Super

7. Super omnia satagет Cellerarius debito tempore Luna crescente ligna incidere, & intrà menses Septembris ad sumum, vnicuique iustā quantitatem tribuerè. Animaduertat tamen, nè in cedendis lignis, syluę extirpentur, sed potius conseruentur; & circa vias publicas ad ornatum, & vmbrā illarum, aliquę arbores relinquantur. è conuerso caueant Eremitę, ne huiusmodi lignorum abundantiā malé superflueq; abutantur, ne, & ipsi propter hoc & Purgatorij ignes diutius experiantur.

8. Et sicut Cellerarius omnia cum consensu sui superioris facerè tenetur, Ità, & singulis mensibus eiusdem, aut cui ipse voluerit, administrationis suę rationem reddet.

At si Cellerarius propria voluntate, non autem superiori obediendo, se gerat, tunc superior cum duobus senioribus Domus, illum amouere possit, quamuis á Capitulo Generali electus fuerit.

9 At quia Cellerarius solus rei domesticę administrandę pondus portare nequit, frater Conuersus pro Dispensatore ei adiungatur, qui, & ipse Idoneus sit ad huiusmodi munus exercendū. Ei ergò omnia, quę ad vsum Domus, & Eremitarum tàm in victu, quàm in vestitu sunt necessaria, commítuntur. vndè magnam debét adhibere diligentiam, vt cuncta munda, beneq; disposita suis singula in locis collocentur, & cautè custodiantur, cautiusq; distribuantur,

10. Eidem etiam addaturCellę vinarię custos, qui eam benè custodiat, vinū per singulas Cellas, oportu-

no tempore deferat. Poma item, & agrumina distribuat iuxta superioris ordinationem, curans nè communis eorum aceruus marcescat.

De ferramentarijs Monasterij Cap. XXXII.

Substantię Monastery in ferramentis, vel vestibus, seu quibuslibet rebus, prouideat Abbas fratres, de quorum vita vel moribus securus sit, & eis singula (vt vtile iudicauerit) consignet custodienda, atque recolligenda, ex quibus Abbas breuem teneat, vt, cum sibi in ipsa assignata fratres vicissim succedunt, sciat quid dat, aut quid recipit. Si quis autem sordidè, aut negligenter res Monastery tractauerit, corripiatur, si non emendauerit, disciplinę subiaceat.

Constitutio.

1 Sub nomine substantię hoc loco Pater Sanctus ferè omnia mobilia, cuiuscunq; speciei existant planè comprehendere videtur. Quapropter non ab vno, sed à pluribus Ministris custodienda sunt. Qui omnes quotannis à Conuentuali Capitulo in singulis Locis, statim post ingressum noui Prioris eligendi sunt. Quorum primus erit Sacrista, cui vasa sacra, vestes, & omnia ornamenta Altaris, & Sacrarij custodienda, tractanda, atq; dispensanda committuntur. Ideoq; cum Inuentarij confectione eadem recipere, & omni tempore finito, omnium rationem reddere tenetur, quod si non fecerit à superiore corripiatur. Quę ornamenta & sacrarij suppellectilia secularibus, eorumq; Ecclesijs sinè assensu Capituli Conuentualis, commodam

dari non licebit.

2. Sacristę etiam officium erit horologium temperare, singulasq; horas canonicas tam diurni, quàm nocturni officij pulsu campanę, congruis temporibus, debitisq; interpositis spatijs, & alia quęcunque simili egent sono, significare, qua in re quoties horam pulsandi prętcrire, siuè pręuenire contigerit, à Priore corrigatur, Item Ecclesiam, Sacrarium, atq; Capitulum, vasa sacra, sacrasq; vestes, Altariumq; ornamenta, vniuersalem, dènique Ecclesię sacrarijq; suppellectilem, munda, beneque composita, suisque in Locis constituta summa cum diligentia custodire, Lampades, tám antè Tabernaculum S. S. Sacramenti, quam alibi ardere solitas, expolitas tenere, & accensas continuo seruare, simili & modo Lucernas in Choro (nisi adsint Nouitij) & ipsas mundas, suis aptando locis singulis noctibus paramenta Altarium, secundum officij qualitatem mutabit, ac tandem quidquid ad bonum, fidelemq; Ecclesię ac Sacrarij Custodes pertinet, exactè peraget, idq; auxiliantibus Nouitijs, & si opus sit, socius addatur.

3. Specialiter, & super omnia sacras Reliquias expositas, atq; autenticas custodiat, de quibus nemini quidquam auferre, avt asportare licebit, sub pęna disciplinę circularis, neq; reus absolutionis beneficio nisi prius facta restitutione gaudebit.

4. Secundus inter rerum domesticarum Custodes, erit Bibliothecarius, qui communis Bibliothecę curã gerat, perpolitam tenens ac ab humiditate, alijsq; ne-

cessarijs diligētijs, custodiat, libros ōnes, cōpetēti ordine, & secundum eorū materias distinctos, in eo locabit, quo facilius ille, qui quæritur, inueniatur. Caueat nè in illa Codex aliquis contra bonos mores, aut Lasciuus, aut tractans, vt dicitur, de Caualllaria, & similes multoq; plus Libri prohibiti, aut suspensi, nisi legendi & retinendi adsit licentia.

5. Super omnia autem caueat, nè aliquis Codex sua incuria pereat, quod vt melius adimplere possit, Catalogum, seu Indicem conficiat, in quo omnes libros, tàm eos qui in communi Bibliotheca, quàm eos, qui ad Eremitarum vsum in priuatis cellulis continentur, de quibus Indicem particularem conscribet, cūq; aliquis ab Eremo discedit, omnes libros, quos in Cella inuenerit ad Bibliothecam asportabit.

6. Adsit quoq; ferramentarius, qui ferramenta, seu Instrumenta manualis operis, in aliqua ad hoc deputata officina custodiat, claue obserrata; vndè quoties opus erit, proferat, tradatq; operarijs volentibus, opere tamen consumato, eadem in ipsam officinam restituere curabit, vt benè tractentur, curabit etiam, vt necessaria fiant, si desint, & confracta reficiantur.

7. Multum interest nostrarum Eremorum syluas immunes conseruari, ideoq; illarum custos Iuuenis robustusq; esse debet, qui singulis quibusq; diebus semel, vel etiam bis, si oportuerit, nemora circuire, vicinorumq; animalia ab ipsis arcere, damnaq; omnia declinare. Quare syluarum Custos, ex oblatis semper erit (vel quod honestius est) merè Laicus mercede

condu-

conductus, qui habitũ regularem omninò non deferat.

8. Nec solum supradicti officiales, verùm etiam omnes, quicunq; ad suam cuiuscunque generis obedientiam, aliqua habuerint Instrumenta, eadem benè tractare, reficere, & custodire non negligant, quia res omnes Monasterij sacras reputandas, ac de earum administratione negligenti, Deo rationem esse reddendam certum est; si quis autem infra mensem, post acceptam obedientiam, ac officium, Inuentariũ non conficiet omnium, quæ sub custodia habet, ac in fine anni rationem non reddet, à Superiore puniatur.

Si quid debeant Monachi proprium habere.

CAP. XXXIII.



Ræcipuè hoc vitium radicitùs amputetur de Monasterio, ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine iussione Abbatis, neq; aliquid habere proprium, nullam omninò rem, neq; codicem, neq; tabulas, neq; graphium, sed nihil omninò, quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate, omnia verò necessaria à Patre Monasterij sperare, neq; quicquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit, omniaq; omnibus sint communia, vt (sicut scriptum est) nec quisquam suum esse aliquid dicat, vel præsumat. Quod si quisquã huic nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel, & iterum, si non emendauerit, correctioni subiaceat.

Consti-

Constitutio.

1. GEneralis prohibitio huius Capituli omnē prorsus proprietatem à vero Religioso arcere dignoscitur. Quamobrem præceptū istud strictè ab omnibus, & singulis Eremitis nostris obseruandum est: Ita certè, vt nullus ōnino Eremita (præter cellerariū, seu in eius defectu ipsū loci Priorem pecuniā, vel in minima quantitate, neq; in Cella sua, neq; extra eam, neq; per se, neq; per alium, non nomine depositi, vel dati, aut quouis alio titulo, seu colore retinere possit. Qui autem secùs fecerit, carceri mancipetur, & ibi pane, & aquâ, & disciplinis secundum qualitatem culpæ, superioris plectatur arbitrio.

2. Si quisquam, (quod Deus auertat) aliquo modo proprietarius deprehendatur, vltra pænitentiam in hac sacra Regula, & constitutione, pænæ etiam Ecclesiasticæ priuationis vocis actiuæ, ac passiuæ, per biennium positæ in sacro Concilio Tridentino sess. 25. cap. 2. subiaceat.

3. Quod si Cellerarius in sua administratione aliquā fraudem in damnum loci, seu proximi commiserit, officio priuetur, & simili pænæ subiaceat. Prælatus verò tali vitio infectus à Visitatoribus puniatur, & Visitator, ac Maior à Capitulo Generali.

4. Quin, & res ipsæ, quæ singulis ad proprium, ac necessariū vsū ab ipsis Prælatis, tàm ad victū, & vestitū quàm ad alias necessitates concessæ sunt, singulæ ad nutum Prælati illis permissæ censentur: Caueant autem

tem Priores nè ſuperflua, curioſa, ac prĕtioſa aliquo modo fratribus vſum permittant, vt ornamenta Reliquiarum aut Agnus Dei aurati argentati, margaritis, aut gemmis pertexti Horologia item, quæ tùm ictibus, tùm ſignis horas prænunciant. Item picturæ oleo factæ, exceptis Oratorijs, prohibentur.

5. Et ne hoc vitium inualeſcere queat, frequentèr aut ſaltem bis in anno Prior cum Cellerario, aut ex ſenioribus aliquo Eremitarum cellas viſitet, ac diligenter ſcrutetur, atq; indè quidquid ſuperfluum inuenerit, illico extrahat, quod ſi pretioſum aliquid, quod malitiosè abſconditum, ac reſeruatum fuerit, inuenerit, pro prima vice ſemel in pane, & aqua delinquens ieiunet, ſecundâ vice circulari diſciplina plectatur, tertio carceribus vt ſuprà puniatur.

6. Quamobrem quò ſemper cellarum omnium Priori ingreſſus pateat, vnius formæ ſera erit, ita vt vna clauis cunctas cellas aperire, & claudere valeat, exceptis officinis, ſacrario, Superioris, Viſitatoris, & Cellarij Cellis.

7. Sciant autem Eremitæ illis non licere in die, ſiuè intus, ſiuè foris exiſtant, oſtium cellæ, obſerrare, niſi eremo ingreſſi illa die non ſint reuerſuri, quo caſu clauis tùm cellæ, tùm officinæ per ipſos forſan adminiſtrata, Priori tradenda eſt.

8. Non tamen putent noſtri Eremitæ rerum conceſſarum primam benedictionem, perpetuam eſſe; ſed neceſſarium eſt, ſingulis annis in ingreſſu noui Prioris (etiam ſi idem ſit) nouam de omnibus, quæ

ad vſum habent, humiliter petere; licebit autem Priori omnia confirmare, vel minuere, prout melius iudicauerit.

9. Studeant nihilominus ipſi Prælati ſemper, & in omnibus pauperiores ſuis ſubditis eſſe, vt diſcipuli vidētes Magiſtri opera, glorificent Deum, poſſunt autē ſibi aſſumere, quæ alijs iuſtè permittuntur.

10. Dum Eremicolæ de loco ad locum in familiam proficiſcuntur, illa ſolu[illegible], quibus induti ſunt veſtimenta deferant, & aliqu[illegible]m Codicem deuotum Prioris arbitrio, qui verò indumenta aliudè ſinè Prioris licentia deferet, ſecundum culpæ qualitatē corripiatur, ac totus ad locum, vnde diſceſsit, remittatur. Diſcedens autem teneat Indicem rerum omnium, quas ſecum fert, Priori exhibere, & per eundem, viſis tamen prius omnibus, ſubſcriptionem recipere, quod ſi Priores negligant, à viſitatoribus puniantur: quod & de tranſitu de cella in cellam ſtrictè obſeruabunt.

11. Itinerantes verò, pecunias pro viatico acceptas non niſi ad neceſſaria itineris expendant, ſi quis aliquid aliud emerit, eo priuetur, & ſuperioris arbitrio puniatur.

12. Qui ad alium Religionis locum deſtinantur, ſtatim ac ad locum peruenerint, quique ad extera loca negotiorum causâ mittuntur, vt ad proprium Locum reuerſi fuerint, pecunias, quœ ex viatico ſuperſunt, Cellerario, avt eo abſente, Priori, nihil penitus ſibi retinentes conſignent.

Si omnes æqualiter debeant neceſſaria accipere:

CAP. XXXIV.

SIcut ſcriptum eſt, diuidebatur ſingulis, prout cuiquè opus erat, vbi non dicimus, vt perſonarum (quod abſit) acceptio ſit, ſed infirmitatum conſideratio, vbi qui minus indiget, agat Deo gratias, & non contriſtetur qui verò plus indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro miſericordia, & itá omnia membra erunt in pace, antè omnia nè murmurationes malum pro qualicunq; cauſa, in aliquo qualicunq; verbo, vel ſignificatione appareat. Quod ſi deprehenſus fuerit quis, diſtrictiori diſciplinæ ſubdatur.

Conſtitutio.

1. SVper hæc æqualitatis verba, non ſolum Prælatis, ſed etiam Miniſtris omnibus præcipitur, quatenus omnibus petentibus, atq; indigentibus, faciles, benignoſq; ſe præbeant, numquam, quod præſtare poſſũt, negãtes, atq; õnibꝰ æqualiter ſecũdũ cuiuſq; neceſſitatem tribuentes. Qvibus autem ſatisfieri nequit, blandè ſaltim, ac conſolatoriè loquantur.

2. Quicunq; ergò partialis ergà aliquem deprehenſus fuerit, Superior, aut Cellerarius ſit, aut Diſpenſator, aut quicunq; ex Miniſtris aliquis, qui non indigenti tribuat, & deneget indigenti, quod licitè dare poteſt, aut duris reſpondeat verbis, à Viſitatoribus in actu viſitationis, aut à Capitulo Generali, aut à Dieta puniantur.

De Septimanarijs coquinæ.

C A P. XXXV.

FRatres sic sibi inuicem seruiant, vt nullus excusetur à coquinæ officio, nisi aut ægritudine, aut in causa grâuis vtilitatis quis occupatus fuerit, quià exinde maior merces acquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, vt non cum tristitia hoc faciant, sed habeant omnes solatia secundum modum congregationis, aut positionem loci. Si maior congregatio fuerit, Cellerarius excusetur à Coquina, vel si qui (vt diximus) in maioribus vtilitatibus occupantur. Cæteri verò sibi sub charitate inuicem seruiant. Egressurus de septimana, Sabbatho munditias faciat, linteamina, cum quibus ipsi fratres manus, ac pedes tergunt, lauet, pedes verò, tùm ipse qui egreditur, tùm ille, qui intraturus est omnibus lauet, vasa ministerij sui munda, & sana, Cellerario consignent, qui Cellerarius item intranti consignet. vt sciat quid dat, aut quid recipit. Septimanarij autem ante vnam horam refectionis accipiant super statutam Annonã, singulos biberes, & panẽ, vt horâ refectionis sinè murmuratione, & graui labore seruiant fratribus suis. In diebus tamen solennibus, vsq; ad missas sustineant. Intrantes autem, & exeuntes hebdomadârij in Oratorio mox matutinis finitis, Dominica omnium genibus prouoluantur, postulantes pro se orari. Egrediens autem de septimana, dicat hunc versum. Benedictus es Domine Deus, qui adiuuisti me, & consolatus es me. *Quo dicto tertio, accipiat benedictionem egrediens, subsequatur ingrediens, & dicat* Deus in Adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina, *& hoc idem tertio repetatur ab omnibus, & acceptâ benedictione ingrediatur.*

Con-

Constitutio.

1. QVia Eremitica institutio, quæ commune Refectorium non nouit, minimè patitur per hebdomadarios, seù varios coquinæ Ministros, tale ministerium adimpleri. Idcircò semel electus Coquus per annum in sua obedientia perseueret.

2. Cuius partes erunt Cibos pro Eremitis, ac hospitibus parare, ac coquere, præueniendo tempus, vt horis competentibus, sinè mora ad singulas Eremitarum Cellas (vt moris est) cuiq; ciborum portiunculam, quæ illi contingit, deferat; Ad quem etiam spectat singulis Cellis oleum, sal, & acetum, quoties opus est ministrare.

3. Erit insuper continuus temporum, dierumue obseruator, vt secundum eorum diuersitatem, ciborũ qualitatem mutare possit, secundum nostrum Eremiticum morem. Præcipua tamen eius curà erit, vt omnes æqualia recipiant: Infirmis, senibus, ac debilibus exceptis, quibus (Priore sciente, & annuente) charitate comite indulgere, ac inseruire non omittant. Insuper vasa, quæ ab Eremitis sibi nitida restituenda sũt, vnoquoque mane è cellulis in coquinam asportabit.

4. Statis quoque temporibus sollicitè à cellerario sibi non solum comestibilia, verùm etiam vasa, Lintea-mina, aliaq; ad suum officium necessaria petere, atq; recipere debet.

5. Vbi maior est fratrum numerus, illi socius (sicut regula iubet) adiungatur, omneque aliud opportunum auxilium præstetur. Semper autem in corde suo

retineat Coquus, ſe non hominibus, ſed Chriſto miniſtrare, qui dixit, Qui mihi miniſtrauerit, honorabit illum Pater meus.

De Infirmis fratribus.

CAP. XXXVI.

INfirmorum cura ſuper omnia adhibenda eſt, vt ſicut reuera Chriſto, ita eis ſeruiatur; quia ipſe dixit, infirmus fui, & viſitaſtis me, & quod feciſtis vni de his minimis meis, mihi feciſtis, *ſed ipſi infirmi conſiderent, in honorem Dei ſibi ſeruire, & non ſuperfluitate ſua contriſtent fratres ſuos ſeruientes ſibi. Qui tamen patienter portandi ſunt, quia de talibus copioſior merces acquiritur. Ergò cura maxima ſit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus fratribus infirmis, ſit cella per ſe deputata, & ſeruitor timens Deum, & diligens, ac ſollicitus. Balneorum vſus infirmis quoties expedit offeratur: ſanis autem, & máximè Iuuenibus tardius concedatur. Sed & carnium eſus infirmis, omninoq́; debilibus, pro reparatione concedatur, vt vbi meliorati fuerint, à carnibus more ſolito omnes abſtineant. Curam autem maximam habeat Abbas, ne à Cellarijs, aut ſeruitoribus negligantur Infirmi: quia ad ipſum reſpicit, quicquid à diſcipulis delinquitur.*

Conſtitutio.

1. CElla, quam pijſſimus noſter Pater infirmis præcipit, deputari pro communi valetudinario intelligitur, in quo non vna tantum, ſed plures Cellulæ exiſtant, quæ pluribus exiſtentibus infirmis, ſingulis ſingulæ conſignentur Cameræ, ne alter alteri impedimento eſſe queat.

2. Hoc valetudinarium, quamprimum in vnaquaq; nostra Eremo fiat, in loco salubri, & à concursu domesticorum semoto. Adsit ibi Sacellū ad celebrandū. sit & officinula, in qua diuersa Pharmaca, puta vnguēta, olei conditi varia genera, herbarum distillationes, succi, & fasciculi, nec non saccarum, & confectiones, aliaq; huiusmodi pro Infirmorum vsu asseruentur. Adsit quoque Coquina, pro cibis infirmorum decoquēdis. Omnis quippè Camercula suum habeat Caminū cum lectulo sine linteaminibus tamen, Eremitico more, quamuis grauescente morbo ceruical etiam plumeum, & anaclyterium laneum concedi possit.

3. Qui uerò ad Infirmorum curam præficitur, non solūm perpetua diligentiâ, magnâque charitate illis seruire debet, verùm etiam in præparandis rebus necessarijs viriliter insudabit. Super omnia autem morbo laborantibus, peritorum Medicorum visitatio non desit, aut saltem infirmitate accedente, ad eos plena informatio, cum qualitatibus tùm infirmi, quàm morbi, mittatur, & omnia secundum eorum consilium (nulla expensarum ratione habita) fiant.

4. At sicut Superiores, & infirmorum Præfecti solliciti esse debent in medicis consulendis, & accersēdis, ita nemini licebit Medicum adire, eumq; de sua infirmitate informare, sinè Superiorum licentia, imò in vnaquaque Eremo Medicus à Capitulo Conuentuali eligatur, qvi toti loci familiæ medeatur, nec aliquo àlio medico vti valeat, nisi in grauium infirmitatū consultationibus.

5. Hoc

5. Hoc etiã ſtrictè prohibetur, ne quis Eremitarum in ſæcularium domibus, etiam Conſanguineorũ, nec in publicis Xenodochijs, imò nec noſtris in Hoſpitijs curetur. Qui verò ſecùs fecerit, & ſuperior permittẽs grauiter à Viſitatoribus puniatur.

6. Sit Prior frequens infirmorum viſitator, & Miniſtrorum ſollicitator, & cum opus fuerit Infirmario Socium, qui diu, noctuq; infirmorum lectulis aſſiſtat, ſecundum indigentiam, dare non negligat.

7. Pro ſolamine inſuper infirmorum, charitatisq; causâ, cuilibet quoties in die libuerit (prohibitis temporibus exceptis) eos inuiſere, ibiq;, ſeruatâ tamen omnimoda modeſtia, ſilentium frangere licebit, ad ſubleuãdum quoad melius potuerit animum Infirmi. Caueant autem Eremitæ, nè tali benignâ charitatiua indulgentia abutantur, finem immutando, quod vtiq; fieret, ſi quiſpiam, (quod abſit) valetudinarium, non ex principali charitatis obiectu, frequentaret, ſed ad violandum procaciter ſilentium, vana, curioſa, & quod peius eſſet murmuratoria colloquia, immiſcendo, ad quod præcauendum, vltrà Infirmarium, non poterũt niſi duo ſimul eodem tempore in Infirmi cellula commorari, quiq; tertius aderit, panis aquæuè pænitentia plectatur, ſuamq; in Capitulo culpam dicat. Si quis autem diutius, vltra diſcretionis terminos immoretur, frequentiusq; ibidem reperiatur, ita vt reliqui excludantur. Inuigilet in hoc ſummopere ſuperior, eiq; valetudinarij ingreſſum, quouſq; ſibi placuerit, prohibeat, nè alterius indiſcretio tale charitatis opus non impedi-

pediat: Nemo tamen infirmos reclusos sinè facultate superioris, nec eos, qui in proprijs Cellis, vbi valetudinarius adest, inuisere, aut visitare permittitur.

8. Balneorum vsus raro, vel nunquam, (si fieri potest) concedatur, quod si vrgens necessitas cogat, trium medicorum, aut certè duorum consilio fiat, de consensu tamen Capituli generalis, aut Dietæ, aut infrà annum, Maioris, ac Visitatorum (nisi Domi balneatio fiat) quiq; aliter fecerit, & superior, qui hoc permiserit, ambo à Visitatoribus puniantur. Balneandis nihilominus, sufficiens pecuniarum prouisio, cum prudente, maturoq; socio, detur.

9. Carnium esus medicorum suasu morbo laborantibus intrâ valetudinarium, vbi aderit, & commodè fieri poterit, concedatur, & vbi non adest valetudinarium, aut plenum fuerit: propria in Cellula, aut alibi prout expedire superiori videbitur, concedatur.

10. Qui tamen carnibus vescũtur, ab omnibus Cibis ægrotis vetari solitis penitꝰ abstineãt, ideoq; carnibus indigẽtes, ad instructionem, & medicorum consilium regantur, circa qualitatem, & quantitatem, nec tempore, quo carnibus vescuntur, aliud illis concedatur, nisi quod medicus præscripserit, & in hoc Prior inuigilet, qui non concedet, vt quis eodem tempore pisces, & carnes edat, aut quidpiam infirmo insalubre, & noxium, & super hoc inquirant visitatores ad plectendos delinquentes. Insinuatur tamen Prioribus charitas, & vt secundum infirmitatis qualitatem, grauitati morbi compatiantur. Postremò summopere caueant su-

periores, nedum conualescentibus, senibus, ac debilibus rationaliter indulgent, sanis offendiculum pateat.

11. Ante omnia sagaciter attendat Prior, nè anima ipsius infirmi, suis solatijs priuetur, suauiter illi suadēs atq; adeò (si ita res postulat) iubens quatenus peccata sua confiteatur, sacramq; sumat communionem. Vbi verò mortis periculum imminet, sacro eum inungat oleo. Et tandem, sicut in Ecclesiæ Rituali continetur, quantum fieri poterit, ad felicem exitum adhortetur.

12. Profectò si infirmis, dum viuūt, cura (quam diximus) adhibenda est, multò magis eisdem defunctis exequiarum charitas, ac suffragiorum impendenda. Defuncto igitur Infirmo, signum Angelicæ salutationis (vt omnibus notum sit, quod pro eo orare incipiant) statim pulsandum erit. Fiunt etiam tria signa per ictus, cum eadem Campana, singula per quatuor *Miserere* protracta. Primum statim post *Aue Maria*. Secundum cum defertur ad Ecclesiam: tertium donec sepultus sit perdurabit.

13. Deinde (si ità expedit) sequenti mane, sin minus eadem die processionaliter ad Ecclesiam cum feretro corpus prædefuncti deferatur, omnibus Eremitis præsentibus, ac binis, concomitantibus, ibiq; piè, ac deuotè funeralia persoluantur, secundùm Rubricas in fine Breuiarij positas; quod si manè fiat, missa præsenti cadauere celebretur, quâ expleta, deposita casula, ac manipulo, reliquum exequiarum explebit.

14. Præstereà, & pro defunctis quatuor Anniuersaria singulis annis celebrentur. Quorum primum illud

est, quod iubet Ecclesia Kalendis Nouembris; secundum feriâ secunda post festum Ss. MARTINI pro Eremitis, ac Congregationis Benefactoribus. Tertium feriâ secunda post primam Dominicam Quadragesimæ pro Genitoribus Eremitarum. Quartum in vno quoquè loco post octauam Epiphaniæ, pro animabus Eremitarum eo anno defunctorum, quod si præscripti dies à festis duplicibus impediantur, in alios oportunos dies transferantur. In quibus Anniuersarijs, quotiescunq; fiunt, quilibet Sacerdos quamprimum poterit vnum Sacrum faciet pro salute earum animarum, pro quibus Anniuersarium celebratur, & satis erit pro eis applicare sacrificia. Clerici fratres pro vnoquoq; Anniuersario, vnum Psalterium recitabunt de illis, quæ priuatim recitare tenentur, addito versu *Requiem æternam* in fine cuiuslibet Psalmi. Fratres verò conuersi quinquaginta *Pater*, & quinquaginta *Aue*.

15. Et quia dicta Anniuersaria more festi duplicis aguntur, quatuor candelæ trium vnciarum in Altari ardebunt, dum Laudes, ac Missa peraguntur. Quod simili modo in sepultura, siuè exequijs defunctorum nostrorum seruatur, addũtur duæ Candelæ, vna ad caput, altera ad pedes defuncti, quæ donec sepultus fuerit, non extinguuntur, sic item in Anniuersarijs ad lecticam in medio Ecclesiæ positam, duæ Candelæ ardere solent.

16. Quando aliquis ex nostræ Congregationis fratribus, licet oblatus fuerit, omnes tam Sacerdotes, quàm Clerici, eius loci, in quo ipse humanæ naturæ

debitum persoluit, pro eo totum defunctorum officium, idest vesperas cum tribus nocturnis, inuitatorio, ac Laudibus, & hoc circum circa feretrum antiquæ sepulturæ demandetur, cum oratione in fine *Absolue quæsumus Dñe &c.* recitabũt, eo quo à Breuiario ordine disponitur, ac pro eiusdem anima vnum trentesimum.

17. Insuper omnes tenentur intrà duorum Mensium spatium, à die habitæ notitiæ alicuius mortis computandum, Sacerdotes pro anima defuncti priuati, tres Missas celebrare; Clerici tria Psalteria, concludendo singulos Psalmos cum versu *Requiem æternam*, Conuersi, & oblati ducentos *Pater noster*, & ducentos *Aue Maria*. Si erat Prælatus, quando mortuus fuit, aut per tria
5. missas Sexennia Prælatura fuerat insignitus: Sacerdotes quin-
Clerici 5 que Psalteria, & Conuersi 300. *Pater noster*, & 300. *Aue*
Psalteria. *Maria*; si erat Maior, Sacerdotes Missas decem, persoluent, Clerici decem psalteria, & Conuersi 100. *Pater noster*, & 100. *Aue Maria*. Et qui intra dictum terminum suum non persoluet pensum, abstineat à vino, donec adimpleat.

18. Insuper in loco, in quo quis obibit, præter consuetas eleæmosinas pro eius anima pauperibus Iulij quindecim (aut æquiualens) tradantur, quod licebit vni, vel pluribus vicibus, dummodo infra mensem fiat, super quo superior, ac loci cellerarius inuigilabit.

De senibus, vel Infantibus.

CAP. XXXVII.

LIcèt ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his ætatibus senum videlicet, & Infantum: tamen, & regu-

regulæ auctoritas eis prospiciat. Consideretur semper in ijs imbecillitas, & nullatenus eis districtio Regulæ teneatur in alimentis, sed in eis pia consideratio, & præueniant horas Canonicas.

Constitutio.

QVoniam ipsa senectus morbus perpetuus est, ratio ipsa postulat senio confectos, quasi Infirmos, ac debiles esse tractandos: vnde senes, qui sexagesimum annum expleuerunt, non tenentur ad ieiunium panis, & aquæ. Propterea in visceribus Iesu Christi omnes admonentur, vt cuncti ad quos eorum cura spectat. Prælati, & Ministri, semper misericordes, & compatientes erga senes esse velint, vt & ipsi misericordiam consequantur, neque inhumani, ac sinè pietate, & male se cum senibus habentes sinè correctione euadant, imò grauiter puniantur.

De Hebdomadario Lectore.

CAP. XXXVIII.

M*Ensis fratrum edentium, Lectio deesse non debet nec fortuito casu, qui arripuerit codicem, legere audeat ibi, sed lecturus tota hebdomada, Dominica ingrediatur. Qui ingrediens post missas, & communionem, petat ab omnibus pro se orari, vt auertat ab eo Spiritum elationis, & dicatur hic versus in Oratorio tertio ab omnibus: ipso tamen incipiente,* Domine labia mea aperies. Et os meum annũciabit laudem tuam. *Et sic accepta benedictione ingrediatur ad legẽdum, summumque fiat silentium ad Mensam, vt nullius mussitatio vel vox,*

nisi solius legentis ibi audiatur. Quæ verò necessaria sunt comedentibus, & bibentibus, sic sibi inuicem ministrent fratres, vt nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cuiuscunq; signi potius petatur, quam voce, nec præsumat ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliud eo quidquam requirere, ne detur occasio maligno, nisi fortè Prior pro ædificatione voluerit aliquid breuiter dicere; frater autem Hebdomadarius accipiat mixtum prius, quàm incipiat legere propter Cõmunionem Sanctam, & ne fortè graue sit ei Ieiunium sustinere. Postea autem cum Coquinæ Hebdomadarijs, & seruitoribus reficiat. Fratres autem non per ordinem legant; aut cantent, sed qui ædificent audientes.

Constitutio.

1. IAm à nostri Ordinis exordio, ab ipso Ssmo. Patre nostro Fundatore ROMUALDO, fuit ordinatum, & in hunc vsque diem tenaciter per nostros Eremitas extat obseruatum, vt vnusquisque in sua, quam incolit, cella (dum in Eremo manet) solus reficiat, sic namq; maiori silentio intendere, strictioriq; parsimoniæ sinè alterius admiratione, proprijq; animi elatione, solus vti poterit feruens Eremita.

2. Excipiuntur quædam præcipuæ festiuitates, in quibus omnes ad commune Refectorium conueniunt, scilicet dies Dominicæ, Resurrectionis, Pentecostes, assumptionis Beatissimæ MARIÆ, omnium Sanctorum, Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Feriâ Quinta in Cæna Domini. S. ROMUALDI in vtraq; solemnitate, S. BENEDICTI, Festorum Dedicationis, ac Tituli Eccle-

Ecclesiæ, nec non durante Capitulo Generali in loco, vbi celebratur. In quibus dieb9 Clericus, qui in Choro est hebdomadarius, communis mensæ lectioni incumbit, qui absolutè à superiore benedictione petitâ, & accepta, legere incipiet. In secunda verò mensa, erit Lector hebdomadæ præteritæ Clericus.

3. Signa autem duo danda sunt tam prandij, quàm cænæ, quando communiter fratres reficiuntur, quæ singula viginti ictus Campanulæ rari, quorum interualla duorum *Miserere* erunt. Secundæ verò Mensæ vnicum erit eiusdem Mensuræ, & si dies erit Ieiunij pro collatione serotinam, ad Cellas vinum cum aliquibus fructibus deferatur, quod semper obseruabitur, excepto loco, vbi celebratur Generale Capitulum.

4. Reliquis verò totius anni diebus horâ prandij, vel cænæ, acceptâ ciborum portione sibi à ministris tradita, Eremita more solito Mensam benedicat, quâ finita benedictione, aliquantulum ex Biblia, aut alio Spirituali libro legat, & deinde cibum ad Dei gloriam sumat, non tamen omittat, cùm corpus reficit, mentem ad Deum leuare, & quasi Christum continuò ante se habens, Spiritum, meditando, recreare. Postea paulisper legat deindè gratias agat.

5. Cæterum quoties dies abstinētiæ panis, & aquæ occurrerit, non super mēsam, sed in terra sedens, tabulâ supposita, pedibus nudis aut seminudis) sinè vllo apparatu panem tanquam cinerem cum gemitu, & humilitate manducet, & aquam velut potum lachrymarum, verâ contritione bibat.

6. Ab

6. Ab hac obseruatione, ac reficiendi modo eximuntur duæ solemnitates, scilicet Ss. MARTINI, & Dominicæ quinquagesima, in quibus propter ingressum Quadragesimarum, quadam piâ, ac charitatis plenâ libertate alacriùs, lautiusque bis in die reficiuntur Fratres, & quamvis simul, atq; in eadem Mensa, non tamen in Refectorio, sed in alio quodam ad hoc præparato seorsum loco. Quæ nihilominus recreatio, cum religiosa modestia, omni prorsus profano, sæculariuè luxu expulso, imô expressè prohibito fieri debet; ideò non licebit à sæcularibus instrumenta ad sonum sumere.

7. At quia per consuetudinem solet Priori præcedenti hebdomada fratres suos, bipartitos tamen, non vna die, omnes foras ad aliquod loci membrum, seruatâ ibidem eadem, quâ in Eremo modestia, ad comedendum mittere, eadem quidem die sub vesperam reuersuros, ibique in prædicto recreationis loco simul Cænaturos.

8. Caueant autem in sæcularium, aut Regularium domibus comedere, quod si quis secus fecerit, grauiter puniatur, sicut illi, qui post Prioris recessum, in loco recreationis permanebunt, & qui in talibus recreationibus quidquam fecerit, aut fieri permiserit, nostro statui repugnans.

9. Vbi non erit membrum Eremi, ad fratres pro dicta recreatione mittendos, debent Priores domi concedere. Consueuit item singulis annis tempore vindemiæ, vnâ die Eremitas recreationis causâ mittere.

De

De menſura ciborum.

CAP. XXXIX.

SVfficere credimus ad refectionem quotidianam, tàm ſextæ, quàm Nonæ omnibus menſis cocta duo pulmentaria, propter diuerſorum infirmitates, vt fortè, qui ex vno non potuerit edere, ex alio reficiatur, ergò duo pulmentaria cocta fratribus ſufficiant, & ſi fuerint inde poma, aut naſcentia leguminum addatur, & tertium.

Conſtitutio.

1. QVia Eremitica auſteritas maiorem victus auſteritatem requirit; ideò in cibis miniſtrandis infraſcriptus ſeruandus erit. A Paſcha Reſurrectionis, vſq; ad exaltationem S. CRUCIS (exceptis feriâ quarta, & ſexta, in quibus ieiunatur, ſingulis diebus in mane vnicum pulmentum miniſtrabitur, ſed ſi feſtum duplex primæ, vel ſecundæ Claſis celebratur, pitantia addatur. Ad Cænam etiam pitantia dabitur, & inſuper quando ſuperiori videbitur dari poterit pulmentum ex herbis decoctis; quod intelligitur in Dominicis tempore hyemali.

2. Acetarium ex herbulis condire nemini prohibetur in cæna, quod etiam de mane in diebus ieiuniorum, extrà quadrageſimas, & abſtinentias, & quando in Ieiunijs vnum tantum ferculum defertur, permittitur. At qui nemini licebit acetarium à Miniſtro delatum, & quod quis ſibi fortè parauerat manducare, quia tunc vnum relinquere omninò debet.

3. Si quis extrà dies ieiuniorum ſemel tantum, qua-

si ieiunaturus, vellet refectionem accipere, mane hora refectionis solita tribuatur, quicquid alijs tam manè, quam serò alijs dandum erit.

4. Ieiunium quartæ feriæ in æstate, si officium feriale occurrit, cum vno pulmento quadragesimali, ac acetario fiat; at si de festo etiam simplici agi contingat, aut de die infra octauã, aut vbi Capitulum Generale celebratur, tunc duo pulmenta crassa ministranda erunt, intellige minestram, & pitantiam: idem in Rogationum militabit, etiam si de simplici sola fieret cõmemoratio, quibus diebus ieiunium, vt in quarta feria dictum est supra, seruandum erit.

5. Feriâ verò sexta æstiuo tempore in pane, & aqua ieiunetur additis fructibus, seù agruminibus, vel herbulis cum sale sinè aliquo condimento. Sed si in feria sexta aliquod duplex festũ inciderit, abstinẽtia transfertur, & duo pulmenta quadragesimalia deferantur, idest minestra, ac pitantia, quod in omnibus sextis ferijs per annum obseruetur: abstinentia verò in alium diem ieiunij, qui duplici careat, transferatur. Quod si omnes dies sint duplices, feriâ sexta etiam duplici fiat abstinentia, & hoc strictissimè obseruandum, vt nulla decurrat per annum hebdomada sinè aliqua panis, aquæquè abstinentia.

6. Qui tamen in sexta feria abstinere voluerit (nisi in communi reficiatur) abstineat in Domino. Declarando quando abstinẽtia ex pænitentia fit, extrà quadragesimas fieri cum fructibus.

7. Ab Idibus septembris vsq; ad Pascha (vt Pater San-

Sanctiſſimus præcepit)perpetuum indicitur Ieiunium, exceptis Dominicis diebus, in quibus Ieiunium ad cuiuſcunq; arbitrium relinquitur Quamobrem in mane pulmentum cum ferculo ſimul datur, vt qui vnâ refectione vti voluerit, liberè poſſit, ſed ei, qui de ſero cænare voluerit tunc pitãtia de ſero detur, & de mane pulmentum, ſi ità placuerit.

8. Ab eadem die feſto S. CRUCIS, vſq; ad feſtum S. MARTINI, & à Natiuitate Domini, vſq; ad quinquageſimam, ter in hebdomada nempè Dominica, feriâ tertia, & quinta, cum pulmento pitantia ex ovis miniſtratur, quod in omnibus feſtis duplicibus intra eadem tempora obſeruatur: Et quando Anniuerſaria cum tribus nocturnis celebrantur; Atqui feria ſecunda, & Sabbatho pulmẽtum craſſum cum inſalatitio defertur. Feria verò ſextâ abſtinetur, vt ſupra.

9. Poſtremò in vtraquè quadrageſima ſingulis Dominicis, & feriâ quinta cum feſtis duplicibus, duo fercula macra quisq; habere debet; feriâ tertia, & Sabbatho, vnum ſimili condimento pulmẽtum cum acetario, feriâ verò ſecunda, quarta, & ſexta in pane, aqua ac ſale, addita etiam herbula cocta vnius tantum ſpeciei, & volenti, panis coctus in aqua, & ſale concedatur. In quibus ferijs, vel earum aliqua, ſi feſtum duplex inciderit, abſtinentia relaxatur, dummodo in hebdomada ſemel fiat, vt ſupradictum eſt, & in abſtinentiæ diebus conuerſis per continuum laborem, vinum cum fructibus, quos in Cellulis habent, conceduntur.]

NB

10. At Vigilia Nativitatis Domini (niſi venerit in

 die

die abstinentiæ) & Sabbatho Sancto Ieiunium cum vino, fructibus, soloq; pulmento seruabitur.

11. Præter Quadragesimas, & alia ieiunia ab Ecclesia indicta, ex speciali Religionis nostræ deuotione ieiunetur, in Vigilia Epiphaniæ, Purificationis, Natiuitatis B. MARIÆ, ac S. Patris nostri ROMUALDI septima februarij, quæ habet octauã, sed non in festo altero de mẽse Iunij, in quibus vigilijs ieiunatur, cibis quadragesimalibus, cum ferculis, quæ alias illa die danda forent.

12. Quoties autem in sexta feria Natiuitatis Domini aut S. ROMVALDI festiuitas occurret, ouorum & casei pulmentaria comedantur, Ieiunium verò minimè soluitur. Intrà septa Eremi nunquam licet feriæ sextæ Ieiunium violare, neque quoad ciborum qualitatem, exceptis supradictis, sed neque hospitibus, neq; operarijs, aut seruientibus in ferijs sextis oua, seù lacticinia ministrare licet, nisi infirmitate, aut debilitate laborent, aut personæ valdè nobiles, multumq; delicatæ fuerint, aut alia ex causa superiori bené uisa nostri omninò tàm intrà, quàm extrà Eremos oua, aut quodcunq́, crassum strictissimé prohibentur edere.

13. Si deniquè ea die festum S. MARTINI contigerit celebrari solita, illius diei recreatio, præcedenti die, fieri consueuit.

14. Ouorum pitantia, duo oua, piscium recentium, sex vncias, Salsamentorum bené expurgatorum, quatuor ponderis vncias non excedat, in pulmentis condendis, singulis Eremitis ouum vnum, & casei quantum necesse est tribuatur.

15. Et

15. Et quia hic pulmenta crassi, & macri appellatione disponuntur, declaratur illud Macrum dici, quod sinè ouis, aut lacticinijs fit, crassum illud quod ouorum casei, butyri, lactisuè mixtione cōditur, macrum quippe pro crasso, & non crassum pro macro fas est ministrare.

16. Strictè quoq; prohibetur, ne quis in priuata Cella aliquid, quod pulmenti speciem sapiat, coquat, præter fructus, vt sunt poma, & crumina, & qui contra fecerit semel in aqua; & pane mulctetur.

17. Præter comestibilia, quæ è coquina Eremitis deportantur, per singulas Cellas saltem semel in hebdomada, vel bis, si commodè poterit, vel pluries in æstate, iusta fructuum portio deferatur Dari quoq; aliquando solent, secūdum temporum qualitatem, acrumina, radices, vel aliud huiusmodi. Nulla tandē hebdomada trāseat sinè aliqua prædictorum portiuncula.

18. Casei quoq; pitantia sex vnciarum ponderis erit, quæ die Dominico tantum singulis datur, cuiusq; discretione in totam hebdomadam compartienda.

19. Omnia ergo quæcunq; Eremitis ministrātur ex decoctis Epulis, si cuiquam supersit, quod scilicet non manducauerit, in crastinum sibi reseruare omninò nequit, sed eadem die foras deponat, sic & vasa, quibus vsus est, munda in Armarium à Coquo asportanda.

20. Vetatur etiam cunctis ex Cellarum, seù communibus hortulis acrumina, fructus, sellaros finiculos, seu quid simile, sinè licentia superioris, colligere, & carpere, omnes tamen poterunt ex proprijs, aut com-

munibus hortulis, herbulas sibi ad proprium vsum sumere; solus autem Coquus vndecunq; pro Coquinæ vsu colligere poterit.

21. Collatio serotina fit cum fructibus, vel pane, benedictione præmissa, & gratiarum actione subsequente: sed in quadragesimis, in diebus abstinentiæ pro collatione, panis tantum adhibeatur.

Sequitur Regula:

PAnis libra vna pro mensa sufficiat in dies, siuè vna sit refectio, siuè prandij, & cænæ. Quod si cænaturi sunt, de eadem libra tertia pars à Cellerario reseruetur, reddenda cænaturis. Quod si labor fortè factus fuerit maior, in arbitrio, & potestate Abbatis erit, (si expediat) aliquid augere, remotâ præ omnibus crapula, vt numquam subrepat Monacho indigeries, quià nihil sic contrarium est omni Christiano quomodo Crapula, sicut ait Dominus noster. Videte ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate. *Pueris verò minori ætate non eadem seruetur quantitas, sed minor, quàm maioribus, seruata in omnibus parcitate.*

Constitutio.

QVia complexiones hominum variæ existunt, nulla certa panis mensura nobis á maioribus nostris, constituta inuenitur. Quin potiùs secundum antiquorum ritum, tanta panis quantitas, quoties recens coquitur, cuiq; à ministro in Cellam defertur, quanta rationabiliter ei sufficere possit, quousque recens iterum deportetur: verùm pane deficiente mittat foras in armariolo buc-

lo buccellum pro ſigno, & ſtatim ſupplementum ab eodem miniſtro recipiat. Panis tandem cibarius, ſeu communis, bonus, beneq; conditionatus, & non nimis delicatus, aut exquiſitus erit.

Sequitur Regula.

CArnium verò quadrupedum omninò ab omnibus abſtineatur comeſtio præter omninò debiles, & ægrotos.

Conſtitutio.

1. QVadrupedum appellatione hoc loco, & bipedum carnes comprehendi minimè ambigitur, ac proinde eſus omnium carnium Quadrupedum, & bipedum, ac volatilium, Eremitis prohibitus cenſetur, imò verò, & etiam omnium rerum, quæ per commixtionem carnis ſapore, vel guſtum contraxerunt, nec non earum quæ iuſculo, ſeu adipe conditæ ſunt. Quæ prohibitio ſemper, & vbiq; tam in Eremo, quàm extrà in itinere, ac omni tandem loco indiſpenſabilis omninò maneat, niſi morbi neceſſitas aliter requirat: Et tunc ſuperiores, medici conſilio ſi haberi poteſt, faciliter concedant, modo ſupra expreſſo.

2. Atque per hanc prohibitionem, nec ſæcularibus quidem cuiuſcunq; ſtatus, aut conditionis fuerint, intra Cruces Eremi, carnes concedi nequeunt, quod & in oblatis, atque famulis obſeruabitur.

3. Tranſgreſſores verò, qui vel manducauerint vel manducare permiſerint, diſciplinâ circulari plectātur, ac tribus diebus in pane, & aqua ieiunent; Et ſi delinquens

quens fuerit Prælatus, à visitatoribus, si autem visitator, aut maior, à Capitulo Generali, aut dicta eadem pænitentia puniatur, & qui manducari à sæcularibus permiserint, ter in pane, & aqua ieiunent.

De Mensura potus.

CAP. XL.



Nusquisque proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius verò sic, & ideo cum aliqua scrupulositate à nobis mensura victus aliorum constituitur. Tamen infirmorum contuentes imbecillitatē credimus, heminam vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerationem abstinentiæ, propriam se habituros mercedē sciant. Quod si aut loci necessitas, vel labor, aut ardor æstatis amplius poposcerit, in arbitrio Prioris consitat, considerando in omnibus ne subrepat satietas, aut ebrietas, licet legamus vinum omnino monachorum non esse, sed quià nostris temporibus id Monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, vt non vsq; ad satietatem bibamus, sed parcius, quia vinum apostatare facit etiam sapientes: vbi autem necessitas loci èxposcit, vt nec suprascripta mensura inueniri possit, sed multo minus aut ex toto nihil, benedicant Deum, qui ibi habitant, & non murmurent. Hoc autem antè omnia admonemus, vt absq; murmurationibus sint.

Constitutio.

1. QVia inter Eremitas nostros magna est citrà vini potum diuersitas, ideò vasculum, quod quisq; de consensu Prioris in Cella habet, singulis diebus non prohibitis Minister impleat.

2. Sed

2. Sed diligenter aduertant Prælati, nè vascula modestiam, sobrietatemq; Eremiticam excedant, magis autem aduertant subditi, vt semper Religiosam parsimoniam constanter retineant, nec vnquam vinum, nisi aqua dilutum, bibant, & dum bibunt (secundum Eremitarum antiquam consuetudinem) sedeant, ambabus manibus craterem tenentes.

Quibus horis oporteat reficere fratres.

CAP. XLI.

A Sancto Pascha, vsq; ad Pentecostem ad Sextam reficiant fratres, & ad seram cænent. A Pentecoste autem tota æstate, si labores agrorum non habent Monachi, aut nimietas æstatis non perturbat, quartâ, & sexta feria ieiunent vsq; ad nonam, reliquis verò diebus ad sextam tardent. Quæ sexta prandij, si opera in agris habuerint, aut æstatis feruor nimis fuerit, continuanda erit, & in Abbatis sit prouidentia; & sic omnia temperet, atq; disponat, qualiter animæ saluentur, & quod faciunt fratres, absq; vlla murmuratione faciant. Ab Idibus autem Septembris, vsq; ad caput quadragesimæ, ad nonam semper reficiant fratres. In quadragesima autem vsq; ad Pascha, ad Vesperam reficiant. Ipsa tamen Vespera sic agatur, vt lumine lucernæ, non indigeant reficientes, sed luce adhuc diei omnia consumentur, sed & omni tempore, siuè Cænæ, siuè refectionis hora, sic temperentur, vt cum luce diei fiant omnia.

Constitutio.

1. Æstivo tempore cùm non ieiunatur, hora prandij erit post sextam, hora verò cænæ, post vesperas antè tamen Completorium. Q 2. In

2. In hyeme qui diebus Dominicis cænare de ſero voluerit, propter dierum breuitatem ad ſanitatem tuendam, poſt completorium licebit, poſt orationem (ita etiam de collatione ſerotina in alijs diebus intellige) ſed inter prandium, & cænam quidquam potus, aut cibi ſumere non licet.

3. In Ieiuniorum diebus poſt nonam reficiant fratres, ſed in Quadrageſima poſt Veſperas.

4. Hæc eſt noſtræ Congregationis vitæ forma, quam omnes Profeſſi, ac Nouitij obſeruare tenentur, nec ſinè Superioris licentia, nec in totum, nec in partem quidquam addere, vel relaxare poſſunt.

5. Si autem aliquis Spiritu Sancto inflammatus, maiori auſteritate vti deſiderat, cum Prioris benedictione agat, dummodo ſua ſingularitate alijs admirationem, Miniſtriſq; moleſtiam non inferat.

6. Superiores veró relaxandi, perinde ac reſtringendi, ſibi ipſis, ſicut cæteris, diſcretionē magiſtrā auctoritatem habent, & ſpecialiter cum oblatis, qui non ſicut profeſſi ad tantam obſeruantiam non tenentur.

Vt poſt completorium nemo loquatur.

CAP. XLII.

Omni tempore ſilentio ſtudere debent Monachi, maximé tamen nocturnis horis, & ideó omni tempore ſiuè Ieiunij, ſiuè prandij, ſi tempus fuerit prandij, mox, vt ſurrexerint à Cæna, ſedeant omnes in vnum, & legat vnus collationes,

ones, vel vitas Patrum, aut certè aliquid, quod ædificet audientes, non autem Eptaticum, aut Regum; quia infirmis intellectibus non erit vtile illa hora hanc scripturam audire: alijs verò horis legantur; si autem ieiunij dies fuerit, dicta Vespera pauco interuallo, mox accedant ad lectionem collationum, vt diximus, & lectis quatuor, aut quinq; folijs, vel quantum hora permittit, omnibus in vnum concurrentibus per hanc horam lectionis. Si quis fortè in assignato sibi commisso, fuerit occupatus, occurrat. omnes ergò in vnũ positi compleant, & exeuntes à Completorio nulla sit licẽtia denuo cuiquam loqui aliquid. Quod si inuentus fuerit quisquam præuaricari hanc taciturnitatis regulam, grauiori vindictæ subiaceat, excepto si necessitas hospitum superuenerit, aut fortè Abbas alicui aliquid iusserit. Quod tamen, & ipsum cum summa grauitate, & moderatione honestissimè fiat.

Constitutio.

1. VEspertinæ lectionis, quam hic fieri præcipit Pater Sanctus, in nostra Societate, hic fuit, & erit semper præscriptus modus. Pulsante completorij signo, omnes Fratres ad Ecclesiam decore seruato, concurrent, vbi ante Sacramentum flexis genibus manebunt, signo postea completo, cunctis aulam Capituli ingressis, & attentè audientibus, ibi Clericus hebdomadarius, ad quartam horæ partem, vel donec per Superiorem, signum datum, more solito fecerit, librum collationum, siuè alium vulgarem similem, vt & Laici intelligant, alta, & intelligibili voce perleget.

2. Vndè surgentes, ad Ecclesiam reuersi comple-

torium perſoluent, & vſque ad horam primam finitam ſequentis diei, in perpetuo, inuiolabilique ſilẽtio permanebunt.

3. Si verò aliquis ad hanc lectionem non venerit, dicat ſuam culpam, & corripiatur à Superiore.

De his, qui ad opus Dei, vel ad menſam tardè occurrunt.

CAP. XLIII.

AD horam Diuini officij mox, vt auditum fuerit ſignum, relictis omnibus quæcunq; fuerint in manibus, ſummâ cum feſtinatione curratur, cum grauitate tamen, vt ſcũrilitas non inueniat fomitem. Ergò nihil operi Dei præponatur. Quod ſi quis ad nocturnas vigilias poſt gloriã pſalmi nonageſimi quarti (quẽ propter hoc omnino protrahẽdo, & moroſè volumus dici) occurrerit, non ſtet in ordine ſuo in Choro, ſed vltimus omnium, aut in loco, quem talibus negligentibus, ſeorſum conſtituerit Abbas, vt videatur ab ipſo, vel ab omnibus, vſq; dum completo opere Dei publica ſatisfactione pæniteat. Ideo autem eos in vltimo, aut ſeorſum iudicauimus debere ſtare, vt viſi ab omnibus, vel pro ipſa verecundia ſua èmendentur. Nàm ſi extra oratorium remaneant, erit fortè talis, qui ſe, aut collocet, aut dormiat, vt certè ſedeat foris, vel fabulis vacet, & detur occaſio maligno, ſed ingrediatur intro, vt nec totum perdat, & de reliquo emendetur. Diurnis autem horis, qui ad opus Dei poſt verſum, & gloriam primi pſalmi, qui poſt verſum dicitur, occurrerit, lege quam ſuprâ diximus, in vltimo ſtet, nec præſumat ſociari choro

pſal-

psallentium, vsq; ad satisfactionem, nisi fortè Abbas licentiam dederit permissione sua, ita tamen, vt satisfaciat reus ex hoc.

Constitutio.

1. MOdus à regula præscriptus, sic à nobis hodie vsui est, aut quandocunque aliquis Sacerdos, vel Clericus in Choro, seu etiam Laicus extra eum, excepto Matutini, vel primæ officio, abesse deprehenditur, statim hebdomadarius frater eumdem vocabit, in alijs verò horis diei, Sacrista, cui officij signandi cura est, pigros quoque accersendi curam hàbebit. Vigilabit nihilominus Prior, aliquo à Choro deficiente (vt moris est) signum statim dare festinet, & vocetur.

2. Ipse verò rarditatis amator, post scilicet completo Venite exultemus in Matutino, & in alijs horis incepto primo psalmo accedens, extra Chorum, in ea parte, in qua ipse residet ad terram profundè humiliatus tamdiu maneat, donec illi Superior signum præbuerit, vt assurgat, quo facto in suam sedem ascendet. Quod & Conuersi obseruabunt in horis, in quibus in Ecclesia sistere debent, atque ideò quando tardè venerint, vel inde recesserint, durante officio, in Chori porta veniam petere, ibique Superioris signum expectare.

3. Si quis propter negligentiam ad matutinum non venerit, ieiunet semel in pane, & aqua.

Sequitur Regula.

AD horam verò refectionis, qui antè versum non occurrerit, vt simul omnes dicant versum, & orent & sub vno omnes accedant ad mensam. Qui per negligentiam suam, aut vitium non occurrerit, vsque ad secundam vicem pro hoc corripiatur, si denuò non emendauerit, non permittatur ad mensæ communis participationem, sed sequestratus à consortiò omnium, reficiat solus, sublatâ ei portione sua vini, vsq; ad satisfactionem, & emendationem. Similiter autem patiatur, qui, & ad illum versum non fuerit præsens, qui post cibum dicitur. Nec quisquam præsumat antè statutam horam, vel postea quidquam cibi, vel potus percipere; sed etsi cui offertur aliquid à Priore, & accipere renuerit, hora, qua desiderauerit hoc, quod prius recusauit, aut aliud omninò non percipiat, vsq; ad emendationem congruam.

Constitutio.

QVod Pater Sanctus de tardè ad mensam venientibus disponit, idem in nostris Refectorijs (licet rarius accidat) strictius obseruetur.

De his, qui excommunicantur quomodo satisfaciant.

CAP. XLIV.

QVi pro grauioribus culpis ab oratorio, & à mensa excommunicantur, horâ qua opus Dei in oratorio percelebratur, antè fores oratorij prostratus pronus omnium de oratorio exeuntium pedibus se projiciat, & hoc tamdiù faciat, vsque dum Abbas iudicauerit satisfactum esse. Qui cum ius-

iuſſus ab Abbate venerit, prouoluat ſe ipſius Abbatis pedibus, deindè omnium veſtigijs fratrum, vt orent pro eo, & tunc ſi iuſſerit Abbas, recipiatur in Choro, vel in ordine, quo Abbas decreuerit, ità ſanè, vt pſalmum, aut lectionem, vel aliud quid, non præſumat in oratorio imponere, niſi iterum Abbas iuſſerit, & omnibus horis, dum completur opus Dei, proijciat ſe in terram in loco, in quo ſtat, & ſic ſatisfaciat, vſque dum ei iubeat iterum Abbas, vt quieſcat iam ab hac ſatisfactione. Qui verò pro leuibus culpis excommunicantur, tantum à menſa, & oratorio, ſatisfaciant vſq; ad iuſſionem Abbatis, & hoc ſemper faciant, vſq; dum benedicat, & dicat ſufficit.

Conſtitutio.

1. ERemita, qui quomodolibet in foro exteriori excommunicatus declaratus fuerit iuxtà noſtrorum priuilegiorum facultatem, debitâ præmiſſa ſatisfactione abſoluatur, ſeruata omninò forma ſuper hoc Ritualis Romani, quæ nunquam omittatur.

2. Inſuper caſibus, omnibus, qui accidere poſſunt, conſulendo, ſtatuitur, vt quinquies in anno, quilibet Prior in ſua Eremo, ſuos ſubditos generaliter abſoluat, at vbi Pater maior fuerit, ſuum id munus erit, quæ abſolutiò tradenda eſt in Capitulo culparum de ſero antè Completorium, in Vigilijs Natiuitatis Domini, Paſchæ, Reſurrectionis, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. M.V. & Capitulo Generali abſoluto, lectâ tabula. Sic autem fiat omnes Eremitæ congregati, ac genuflexi; ſacerdos primus recitabit *Confiteor Deo &c.* & poſtea adhibita ſuper pallio ſtola ſuperior ſtans dicat *Miſerea-*

tur

tur &c. & Indulgentiam &c. postea absolutionem secundum sequentem formam, recitabit.

3. Si tenemini aliquibus vinculis, siuè sententijs excommunis maioris, vel minoris, suspensionis, vel Interdicti, siuè pænis quibuscunq; tàm à Iure, quàm ab homine latis, vel alias quotiescunq;, & quomodolibet incursis, auctoritate Apostolica mihi commissa, & vobis concessa, in quantum se extendunt gratiæ, & privilegia nostra. Ego absoluo vos omnes Iurisdictioni meæ subiectos tam præsentes, quàm absentes ab omnibus vinculis, censuris, & pænis prædictis, & restituo vos Sacrosanctæ Ecclesiæ gremio, ac vnitati fidelium, & dispenso vobiscum super omni irregularitate, siuè irregularitatibus si quas, vel si quas contraxistis, & absoluo vos ab omnibus defectibus, & negligentijs cõmissis in administratione ordinum, & Sacramentorum & officiorum vestrorum, & à transgressionibus Regulæ, & Constitutionum, admonitionumq; maiorum vestrorum, & earum pænitentijs incursis, non tamen sub huiusmodi absolutionis prætextu, vel expectatione commissis, vel dimissis: Aboleoq; à vobis omnem infamiæ & inhabilitatis maculam, vndecunq; contractam, & restituo, ac habilito vos ad status, famam, & executionem ordinum, & officiorum vestrorum, nec non ad omnes gradus dignitatum, & honorum, ad participationem quoq; privilegiorum omnium; & beneficiorum Ecclesiasticorum, in quantum possum, & indigetis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Iniungat postea omnibus vnum *Pater* & vnum *Aue Maria*.

De

De his, qui falluntur in oratorio.

CAP. XLV.

SI quis dum pronunciat psalmum, responsorium, aut antiphonã, vel lectionẽ, fallitur, nisi cũ per satisfactionem, ibi coram omnibus humiliatus fuerit, maiori vindictæ subiaceat, quippe qui noluit humilitate corrigere, quod negligentiâ deliquit. Infantes verò pro tali culpa vapulent.

Constitutio.

1, CIrca emẽdationẽ errorũ, qui in Choro occurrere solẽt, consuetudo antiqua nostræ Cõgregationis tenuit, ut qui versiculum, Responsorium, Antiphonam, Capitulum, orationem, lectionemuè dicendo peruerterit, & qui alium errare facit, Chorumuè perturbat; finito officio in medium Chori exiens, ibi prostratus super terram, signum superioris, vel pænitentiam immobilis expectet. At qui in verbis tantum, seù ceremonijs naturali defectu labitur, secundum qualitatem erroris, vel genuflectit statim, vel certè in proprio loco caput profundè inclinat; Quòd si enim tremore, negligentiauè sopitus, facere recusat, iussu Prioris, finito officio, foras exire, & condignam pænitentiam suscipere cogitur.

2. Et si aliquis in illis rebus, quæ fieri, aut dici debent in Choro, vel alibi, si ille qui iuxta errantem manet, tacitè signo, alioué modo defectui mederi potest, cum submissa voce moneat, attamen cum alta, siuè manifesta, correctio desideratur, tunc quoad professos

R corri-

corrigendos, solius Prioris officium est. Nouitios verò ipsorum Magister instruat, atq; corrigat. Non tamen Priori prohibitum est, & Nouitios in choro, & vbique corrigere, & reprehendere, tandem nulli priuato licet superioribus præsentibus aliquem errantem reprehendere, seù emendare, nisi Prælatis negligentibus, siuè non aduertentibus, talis error scandalum, absurdumuè esset allaturus, eo enim casu, non erit indecens, sed oportuna talis correctio.

3. Animaduertant tamen omnes, vt correctiones homini in diuinis officijs, nutu potius, signoué faciant, quàm ore aperto, nè perturbatio sequatur. Vndè consultius erit in his, quæ pauci momenti sunt, dissimulare, quàm pro nihilo officium interrumpere, vel alios in admirationem ducere.

De his, qui in aliquibus rebus leuibus delinquunt.

CAP: XLVI.

SI quis dum in labore quouis in Coquina, in Cellario, in Monasterio, in pistrino, in horto, in arte aliqua dum laborat, vel in quocunq; loco aliquid deliquerit, aut fregerit quidpiam, aut perdiderit aut aliud quid excesserit; vbi, & non veniens continuò antè Abbatem, vel Congregationem, ipse vltrò satisfecerit, & prodiderit delictum suum, cum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi: Si animæ peccati causa latens fuerit, tantum Abbati, aut Spiritualibus senioribus patefaciat, qui sciant curare sua, & aliena vulnera, non detegere, ac publicare.

se recipiat, & in lectulo suo, vel si maluerit sedendo per horam, & dimidiam, vel duas quiescat. sed qui dormire nolit, quietus in silentiò maneat, nè ipse alijs aliquo modo impedimento sit, quod superiores animaduertere debent.

4. Dormitionis finis, erit signum Nonæ, sed quando ieiunatur, pulsanda erit campanula per duo Pater noster cum ictibus quinque.

5. Qui post matutinum quiescere exoptat, ab ipso superiore licentiam obtineat.

Sequitur Regula

POst refectionem autem, vacent lectionibus suis, aut psalmis. In quadragesimæ verò diebus, à mane vsque ad tertiam plenam lectioni vacent, & vsque ad decimam plenam operentur, quod eis iniungitur. In quibus diebus quadragesimæ accipiant omnes singulos Codices de Bibliotheca; quos per ordinem exintegro legant, qui Codices in capite quadragesimæ, dandi sunt. Ante omnia sanè deputetur vnus, aut duo seniores, qui circumeant Monasterium, horis, quibus vacant fratres lectioni, & videant ne fortè inueniatur frater accidiosus, qui vacet otiò, aut fabulis, & non sit intentus lectioni, & non solum sibi inutilis sit, sed etiam alios extollat. Hic talis si (quod absit) repertus fuerit, corripiatur semel, & secundò, si non emendauerit, correctioni regulari subiaceat, taliter vt cæteri metum habeant. Neque frater ad fratrem iungatur horis incompetentibus. Dominico die lectioni vacent omnes, exceptis, his, qui varijs officijs deputati sunt. si quis verò ita negligens, & desidiosus fuerit, vt non velit, aut non possit meditari, aut lege-

legere, iniungatur ei opus, quod faciat, vt non vacet. Fratribus infirmis, aut delicatis talis opera, aut ars iniungatur, vt nec otiosi ſint, nec violentiâ laboris opprimantur, aut effugentur, quorum imbecillitas âb Abbate conſideranda eſt.

Conſtitutio.

1. AD ſacræ regulæ complementum in vnaquaque Eremo, deputetur Pater. qui bis in hebdomada, ſcilicet die lunæ, ac Iouis per horam antè vel poſt veſperas lectionem moralis Theologiæ habeat, poſt quam inter ſe mutuò fratres conferant, quod etiam in Aduentu, & quadrageſima obſeruabitur, & ſi quis ex prædictis diebus impeditus fuerit, in altero ſuppleatur, In illis verò locis, vbi commodè lector haberi non poterit, curabit Pater Prior jisdem temporibus, ac horis, vt deijsdem materijs per fratres diſſeratur, vbi ipſe cum omnibus Choriſtis interueniet, iuxta conſtitutionem Clementis. V I I I.

2. Inſuper quilibet ſacerdos, Clericuſuè vnicum ſacræ Bibliæ caput, vel alterius libri ſpiritualis in dies legat, quia lectio præmiſſa multum iuuat orationem.

De Quadrageſimæ obſeruatione.

CAP. XLIX.

LIcet omni tempore vita Monachi quadrageſimæ debent obſeruationem habere, tamen quia paucorum eſt iſta virtus; ideò ſuademus iſtis diebus quadrageſimæ omni puritate vitam ſuam cuſtodire, omnès pariter negligentias aliorũ temporum, his diebus Sanctis diluere. Quod tunc dignê fit, ſi ab omnibus vitijs nos temperemus, Orationi cum fletibus, lectioni,

ctioni, & compunctioni cordis, atq; abstinentiæ operam demus. Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum seruitutis nostræ, orationes peculiares, Ciborum, & potus abstinentiam, & vnusquisq; super mensuram sibi indictam aliquid propriâ voluntate, cum gaudio Spiritus Sancti offerat Deo. Id est subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate & cum Spiritualis desiderij gaudio, Sanctum Pascha expectet. Hoc ipsum tamen, quod vnusquisq; offert Abbati suo suggerat, & cum eius fiat oratione, & voluntate Quia quod sine permissione Patris Spiritualis fit, præsumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia agenda sunt.

Constitutio

SI veris Cænobitis tantopere expedit in quadragesima Regularibus institutis aliquid addere, certè nobis Eremi cultoribus necessariū videtur, totum integrum annum, ne dum quadragesimas quibusdam piorum operum additamentis exornare. Ideo Eremita singulis ferijs sextis totius anni, horâ, quæ cuiq; commodior visa fuerit, quisq; in sua Cella se ipsum flagris tamdiu cædat, quamdiu bis psalmum quinquagesimum pronunciando immorabitur, quam flagellationem seu disciplinam in hebdomada maiori, in memoriam passionis Dominicæ triplicabunt, scilicet eam feriâ quarta, quinta, & sexta faciendo· Hortantur insuper Patres omnes coeremitas, vt in honorem quadragesimæ singulis diebus abstinentiæ eam frequentent, & pro-

fessi, qui toto anni curriculo voluerint, valeant sine alia licentia, at Nouitij habeant consensum sui Magistri.

2 Si quis ad certum tempus, vel perpetuo voluerit Cilicio vti, sicut; multi Sanctorum Patrum fecerunt quod maximè in quadragesima fieri solet, de licentia Patris Spiritualis & Nouitij sui Magistri, valeant.

De fratribus qui longè ab oratorio laborant, aut in via sunt.

CAPVT. L.

FRatres, qui omnino longè sunt in làbore, & non possunt occurrere hora competenti âd oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita est agant ibidem opus Dei, vbi operântur, cum tremore Diuino flectentes genua· similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant horæ constitutæ, sed vt possunt agant sibi, & seruitutis pensum, non negligant reddere.

Constitutio.

Notent omnes Religiosi, ex hac S. Patris exhortatione neminem ab officio, horisuè Canonicis, vel alio debito orationis ex constitutione Ecclesiæ, vel ex professione, votoq; contracta, propter opera manualia immunem fieri, neq; itineris labore. Semper igitur domo nostri Eremitæ Choro addicti, debitum Diuini officij ac Laici orationum suarum integrum deuotè persoluāt.

De fratribus, qui non satis longè proficiscuntur.

Ca-

CAP. LI.

FRatres, qui pro quouis reſponſo proficiſcuntur, & eadem die ſperant reuerti ad Monaſterium, non præſumant foris manducare, etiamſi à quouis rogentur, niſi fortè eis ab Abbate ſuo præcipiatur. Quod ſi aliter fecerint, excõmunicẽtur.

Conſtitutio?

1. QVod hic de excommunicatione dicitur, de Regulari intelligendum eſt, ideo qui foras exeunt, nec congruo refectionis tempore reuerti poterunt in noſtris (ſi ad ſunt) hoſpitijs, aut alibi reficiantur de ſui licentia Prælati, tacitâ, vel expreſſa. & ſi extra Eremum pernoctare coguntur, vbi noſtra aderunt hoſpita, neq; ſuperiores extra illa dormire ne queant, neque extrà illa comedere ſine licentia: & qui ſecùs fecerint, ſemel in pane, & aqua ieiunent.

2. Non poteſt Prior ſibi, neq; ſuis veniam dare itinerandi vltra quinquaginta milliaria, ſed ſolius Patris Maioris, aut vicemaioris, munus erit, quod ſi dictus Pater maior, aut vice maior longè abeſſet, & periculum eſſet in mora, tunc Prior cum ſuo Capitulo Conuentuali, talem impartiri licentiam poterit, & qui tali ordinationi non paruerit, carcerali pæna per menſem puniantur.

De oratorio Monaſterij.

CAP. LII.

ORatorium ſit hoc, quod dicitur, nec ibi quicquam aliud geratur, aut condatur expleto opere Dei, omnes cum ſummo ſilentio exeant, & agatur reuerentia Deo, vt frater.

qui fortè sibi peculiariter vult orare, non impediatur alter ius improbitate, sed si alter vult sibi fortè secretus orare, simpliciter intret & oret non in clamosa voce, sed in lachrymis, & intentione cordis. Ergò qui simile opus non facit, non permittatur, expleto opere Dei, remorari in oratorio, sicut dictum est, nè alius impedimentum patiatur.

Constitutiò.

1 DOmus Dei Ecclesia est, quæ Domus orationis vocatur; Ideò Sanctus Benedictus ab exercitió, oratorium appellat. Cum ergò oratiò silentium, & quietem desideret, necesse est ab Ecclesia omnem strepitum, omnemq; tumultum propullsare: In tota itaq; Ecclesia, sed præcipuè in Choro, Summum, perpetuumq; silentium seruetur, vt non solum ibi omnis superflua locutio, seú vociferatio prohibita intelligatur, sed etiam omnis strepitus, qui ad aures peruenire, seù mentem distrahere valeat, qualis est sedilium demissiò, seù eleuatio, librorum indiscreta reuolutio, inurbana tussis, inmodesta conspuratió, atq; oscitatiò, & alia similia, & maximè quando aliquid secretè dicitur, vel recitantur lectiones, antiphonæ, & similia, ac in missa cum legitur Euangelium, & dum canon, ac alia secreta peraguntur.

2. Cura sit insuper sacristæ nè aliquis per Ecclesiam deambulet; nemini item in Ecclesia alium alloqui licet, seu alta voce orare. Quicunq; ergò colloquentes, quacunq; diei hora, vel noctis inuenti fuerint, illo vel sequenti die, in pane, & aqua abstineant. In reliquis

quis supradictis defectibus Prioris discretioni, correctiò, vel pænitentia relinquitur.

De Hospitibus suscipiendis.

CAP. LIII.

OMnes peruenientes hospites, tanquam Christus suscipiantur, quià ipse dicturus est. Hospes fui, & suscepistis me, & honor cōgruus omnibus exhibeatur, maximè tamē domesticis Fidei, & Peregrinis. vt ergò nunciatus fuerit hospes occurratur ei à Priore, vel à fratribus cum omni officiò charitatis, & primitus orent pariter, & sic sibi socientur in pace, quod pacis osculum non prius offeratur, nisi oratione præmissa propter illusiones Diabolicas In ipsa autem salutatione omnis exhibeatur humilitas omnibus venientibus, siuè discedentibus hospitibus inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terra. Christus in eis adoretur, qui & suscipitur. suscepti autem hospites ducantur ad oratorium, & postea sedeat cum eis Prior, aut is, cui iusserit ipse. legatur coram hospite Lex diuina, vt ædificetur, & post hæc omnis ei exhibeatur humanitas Ieiunium à Priore frangatur propter hospitē, nisi fortè præcipuus sit dies Ieiunij, quod non possit violari. fratres autem Ieiuniorum consuetudines prosequanur· Aquam in manibus Abbas hospitibus det, pedes hospitibus omnibus, tam Abbas, quam cuncta Congregatiò lauet: Quibus lotis, hunc versum dicant, suscepimus Deus misericordiam tuam in mediò Templi tui Pauperum autem, & Peregrinorum maximè susceptiò omni curæ exhibeatur, quià in ipsis Christus magis suscipitur nam diuitum terror, ipse sibi exigit honorem. Coquina Abbatis, & hospitum per se sit, vt incertis horis superuenientes hospites, qui nunquam desunt Monasteriò,

non inquietent fratres, in quam Coquinam ingrediántur duo fratres ad annum, qui officium benè impleant. Quibus (vt indigent) solatia administrentur, vt absque murmuratione seruiant. Et iterum quando occupationem minorem habent, exeant, vbi eis imperatur, in opera, & non solum in ipsis, sed & in omnibus officijs Monasterij ista sit consideratiò, vt quando indigent, solatiá accomodentur eis, & iterum quando vocant, obediant imperanti.

Constitutio.

1 HOspitia loco commodo tam hospitibus, quam suscipientibus, & ab officinis, & Eomisia aliquantulum, & multo plus à solitarijs cellulis sint separata, quo hospites maximè, qui de longinquo venerunt, benignè deducantur, adsint ibi lectisternia per omnia Eremitis similia; sed cum personæ dignitas, seù hospitis infirmitas mollioribus egerit, ipse Prior pia adhibita consideratione, eadem concedere valebit.

2. Frater ille ad hoc charitatis munus deputatus, præscriptas in Regula qualitates habeat, ad quem pertinebit mensam parare, mensæq; prouidere necessariá, & ea hospitibus ministrare. Nec tantum Dominorum necessitatibus, sed etiam famulorum, iumentorumq; (secundum loci facultatem) benignè satisfaciat Huic si opus habuerit, socius & ipse diligens, ac pius dabitur

3 Nec non illis Sacerdos, qui associet hospites in, Ecclesiam, perque Eremum, vt fieri solet deducat, atque reducat, nec vltra agat, nisi à superiore habeat in mandatis

Super

4 Super omnia tamen vnusquisq; eorum in suo Ministerio sagaciter attendat, ne in aliquo Peregrinos offendat sed potius, tam verbis, quam factis eos ædificare nitatur, pietatis virtutisq; exemplis coram ipsis semper insistendo.

5. Eisdem & Ministris (quia hodie ob varias occupationes officiorum, rerumq; domesticarum) Prior non potest, tam manuum, quam pedum lotioni incumbat. hoc addito, quod ad pedum lotionem præter versiculū. Suscepimus Deus &c. Psalmum. misere re: vel alios, siue Hymnos addant. si quis autem hanc pedum lotionem prætermiserit, semel in pane & aqua ieiunet.

6 Discedentibus hospitibus itineris, directio si alias ignorant, negari minimè debet.

7 Caueant autem Priores, ne in suis locis Banditos, ære alieno grauatos: vel alia ex causa sæculari Curiæ obnoxios (nisi coacti fuerint) hospitio recipiant, qui secus fecerit secundum culpæ grauitatem puniatur.

Si debeat Monachus literas, vel Eulogia suscipere.

CAPVT LIV

Nvllatenus liceat Monacho nec à parentibus suis, nec á quoquam hominum, nec sibi literas, aut eulogia, vel quælibet munuscula accipere, aut dare sine præcepto Abbatis sui. Quodsi etiam à parentibus suis ei quidquam directum fuerit, non præsumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit Abbati, quod si iusserit suscipi, in Abbatis sit potestate, cui illud iubeat dari,

dari & non contristetur frater, cui forté directum fuerat, vt non detur occasio Diabolo: Qui autem alitèr præsumpserit, disciplinæ Regulari subiaceat.

Constitutio

1 CVm violatio huius Capituli, sine vitio proprietatis atq; inobedientiæ esse non possit, ideo strictè omnino in eo contenta inuiolabililter obseruentur in litteris dandis seù recipiendis, quam munusculis hinc inde mittendis, vel in alijs quibuscunq; rebus præter fructus, qui mutuò inter Eremitas dari possunt.

2 Et ad maiorem paupertatis obseruantiam, prohibetur nè priores cuiquam Eremitæ petendi pecunias à parentibus, vel Amicis, sub quouis prætextu, ac colore etiam eleæmosynæ pro Missis ad singularia sibi comparanda, facultatem faciant. quod itá strictè prohibetur, vt is pro proprietario habeatur, qui huiusmodi eleæmosynis, particularia sibi emit, cum non possit superior talem licentiam impartiri. sed huiusmodi eleæmosynæ Cellerario consignentur, qui ad introitum, sicut rem emptam, ad exitum describat: Prior qui aliter permiserit, à Visitatoribus puniatur, & subditus proprietarij pęna mulctetur.

3 Quod vt facilius suum sortiatur effectum, teneantur Priores subditorum litteras antequam ad eorum manus perueniant aperire, ac legere, nisi fortè à Maiore, aut visitatoribus sint directæ, quas sub pęna circularis disciplinæ aperire non possunt, si constet ab eis

missas,

missas, quod facilè innotescet, sin in fronte apparet M. aut V. sic interim Pater Maior, ac visitatores obseruabunt, vt vnus alterius litteras non aperiat.

4. Sic pariter locorum superiores teneantur, vt supra legere, quas subditi scribunt Epistolas, & ad suum arbitrium mittent, vel retinebunt: subditi verò, qui furtiuè mittent, sinè superiorum scientia, manifestata fraude, pro qualibet vice per decem dies, subtus omnes degradati maneant, dummodo grauis sit transgressio, quod arbitrio Prioris relinquitur, quod etiam in recipiendis Epistolis intelligatur.

5. Sic grauiter plectatur quilibet subditus, qui alterius priuati literas reserare præsumpserit, & multò grauius puniatur quicunq; sui Prioris Epistolas aperuerit: nec superior absente Priore illius aperire poterit nisi prius licentiam dederit.

6. Omnes Epistolæ in loco, vbi adest Pater Maior ipsi tradantur, qui suis sibi retentis, reliquas integras Priori transmittet, nisi ob rationabilem aliquam causam dicto Patri Maiori visum fuerit alicuius illius familiæ Epistolas aperire.

7. Nemo vti potest Congregationis, aut particularis loci sigillo, præterquam superiores respectiuè.

De vestimentis, vel calceamentis Fratrum.

C A P. L V.

Vestimenta Fratribus secundum locorum qualitatem, vbi habitant, vel rerum temperiem dentur, quia in frigidis

gidis regionibus amplius indigetur, in calidis verò minus. Hæc ergò consideratio penes Abbatē sit. Nos tamen mediocribus locis, sufficere credimus Monachis singulis Cucullam, & Tunicam, Cucullam in hyeme villosam, in æstate puram, aut vetustam, & Scapulare propter opera, indumēta pedum, pedules, & caligas. De quarum rerum omnium colore, aut grossitudine non causentur Monachi, sed quales inueniri possunt in Prouincia in qua habitant, aut quo vilius comparari potest. Abbas autem de mensura prouideat, vt non sint curta ipsa vestimenta vtentibus eis, sed mensurata; Accipientes noua, vetera semper reddant in præsenti deponenda in vestiario propter pauperes, sufficit enim Monacho duas Tunicas, & duas Cucullas habere propter noctes, & propter lauare ipsas res. Iam quod superfuerit, superfluum est, & amputari debet: & pedules, & quodcunq; est vetustum reddant, cum accipiunt nouum. fæmoralia hi, qui in via diriguntur de vestiario accipiant, qui revertentes lota ibi restituant: etiam Cucullæ, & Tunicæ sint aliquantò, his, quas habere soliti sunt, meliores quas exeuntes in viam accipiant de vestiario, & reuertentes restituant. Stramenta autem lectorū, sufficiant matta, sagum, lena, & capitale, qui tamen lecti frequenter ab Abbate scrutandi sunt, propter opus peculiare, & si cui inuentum fuerit, quod ab Abbate non acceperit, grauissimæ disciplinæ subiaceat. Et vt hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia, quæ sunt necessaria, idest Cuculla, Tunica, pedules, caligæ, cultellus, graphium, acus, mapula, tabulæ, vt omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia actuum Apostolorum, quod dabatur singulis, prout cuiq; opus erat. Ita ergò, & Abbas consideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem In-

uiden-

uidentium. In omnibus tamen Iudicijs suis Dei retributionem cogitet.

Constitutio.

1. PRior, ac Cellerarius specialiter curabunt, vt pannorum prouisio, & eorum omnium, quæ ad hoc necessaria sunt, congruo fiant tempore, ita vt antè Sanctorum omnium solemnitatem, aut ad summum Sancti MARTINI Eremitarum quilibet, vestes, quibus indiget, recipiat.

2. Et ad hoc de mense Augusti per Priorem tam Cellæ, quam fratres visitentùr, inquirendo, & inuestigando, quod vnicuiq; loco, personæué desit, indè memoriale diligenter conficiendo. Nemo tamen Prælatis, aut Ministris molestus sit, antè tempus, sed patienter expectet, donec eorum negligentia manifesta fiat, & tunc necessitate constrictus, humiliter, quæ sibi desunt, poscat.

3. Cuncti itaq; nostræ Congregationis Eremitæ albi coloris amictum sinè aliqua admixtione deferant, quo per vestium candorem, animi innocentiam præseferant quam habere debent.

4. Indumentorum materia vilis, rudis, paruiq; pretij semper quærenda est, puta leuidensa, quæ rasciam mulionum vulgò, seù sclauonica dicitur, ex qua Tunicellæ, & Scapularia fiant, quæ cuilibet annis singulis dari consueuit.

5. Tunicella ad dimidium Tibiarũ descendat. Scapularium verò quatuor digitorum altius tunica dependeat, cui circa collum cucullus consutus sit. T 2 6.

6. Tunica item ex panno rudi, ac ſtricto ſingulis danda eſt, licet non quotannis, ſed quando Prælatus opus eſſe iudicabit, quæ pro choriſtis vſq; ad talos protrahatur, pro conuerſis quatuor digitorum breuior ſit.

2. Pallium quoq; ex rudi, ac villoſo griſo, indigentibus, non omnibus dandum, palmo tunica breuius, ligneo globulo antè pectus clauſum.

8. Habeat inſuper aliud pallium vetuſtum ad commodum lotionis, cui ratione itineris, vel pluviæ adnecti poterit, Caputium, dummodo dictum Caputium in choro, Eccleſia, aut Refectorio non appareat, quodq; nunquam à pallio ſeiunctum geſtare poſſunt Eremitæ.

9. Eiuſdem rationis, ac formæ Conuerſorum pallium cum Caputio erit, ſed eorum tunica palmo breuior

10. Conceditur etiam volentibus alia veſtis, vulgò guardacuore, ex Tunicarũ panno, qua ſubtus vtimur, ad genua vſq; deſcendens: cuius vice ſi quiſpiam maluerit Tunicellam, poterit Prior concedere.

11. Dentur etiam tibialia, vulgò Calzette, quæ paulo ſupra genua protrahantur, quia femorialia non permittũtur Eremitis, quãquam campeſtria vulgò mutandæ ex tela linea tantum ſubtus aperta concedantur.

12. Habeant inſuper ſinguli vdones, ſiuè pedules (vulgò ſcarpini) ex griſo, ſeu lazza, rudiſſimo panno, ac punctas ſecundum conſuetudinem: & cingulũ ex ora panni, quo ſuper Scapulare Profeſſi, Nouitij ſubtus cingantur, & conuerſi ex corio, cum annulo ex oſſe ad maioris digiti latitudinem, & Scapularis longitudinem.

13. Cala-

13. Calapodia lignea tecta, quæ pro calceis, crepidisuè succedunt, quoties opus erit. Si etiam vnicuiq; par calceorum, qui non sint nimis alti, more Eremitico. Possunt etiam Eremitæ habere albos galeros, sed non ex fina lana, seu pretiosa, sed ordinaria, & communi, caueantq; ne solo vnquam bireto vtantur.

14. Strictè prohibetur nè chirothecas, ocreas, vel aliquod aliud vestium genus induere, siuè gestare audeant, volentes insuper (iuxta regulam) vt nouis vestibus receptis, illico vetera Dispensatori restituantur, benignè propter munditiam indulgentes, vt duas subuculas, duas tunicas nouam scilicet, & veterem, duo similiter Scapularia cum duobus biretis, ac geminatum par punctarum, nec aliud duplicatum habeant, nec vnquā tela pro pedulis, nec subtus tibialibus vtantur, nisi pro marsupio iuxtà nostrum antiquum vsum, nec ante, vel in fæmoralibus ad sæcularium morem.

15. Ex eodē panno ac rascia induantur oblati, sed horum Tunica habeat os citrà collum erectum, & Scapulare sinè Caputio supra datur Tunicam, ea quatuor digitorum breuius, & corio sicuti conuersi cingantur, eorum pallium erit sicuti conuersorum, sed breuius.

16. Qui oblatorum habitus quovis quæsito colore ac prætextu nec causa deuotionis concedi possit.

17 Peritum ergo in arte sartoria eum esse oportet, cui hoc munus delegatur (ad quod munus nullus sæculariū admittatur, nisi in Tibialibus scindendis, suendisuè) in scindendis vestibus iusta seruetur mensura, in dandis æqualitas, neminem contristando: Quod si non fecerit per Priorem, aut eō negligente, per visitatores, corri-

corripiatur, atq; puniatur. Quæq; in vestibus emendentur, & in debitam formam reducantur. Neq; vestibus nouis induantur Eremitæ, nisi à Priore, vel superiore prius benedictionem acceperint.

De Mensa Abbatis.

CAP. LVI.

MEnsa Abbatis cum hospitibus, & Peregrinis sit semper, quoties tamen minus sunt hospites, quos vult de fratribus vocare, in ipsius sit potestate, seniorum vnum tamen, aut duos semper cum fratribus dimittendos procuret propter disciplinam.

Constitutio.

1. QVoniam apud nos neq; Priores, neq; etiam Pater Maior, propriam Mensam habent, sed vna, & eadem est illis cum ministris, ac seruientibus ciborum portio, soliq; sicut cæteri omnes, in priuata cella manducant. Ideò quæ hic iubet Sanctus Pater, nec obseruare possunt, cum penitus vsui Eremitico contraria existant. Minus etiam cum Peregrinis, hospitibusuè esse conuenit Mensam Prælatorũ nostrorum, cum hodiè frequentia aduentantium vix dinumerari queat, nisi hospes Prælatus Religiosus, aut vir insignis fuerit; tunc enim cum illis in hospitio poterunt manducare, charitatis, ac reuerentiæ causa.

De Artificibus Monasterij.

ARtifices si sunt in Monasterio, cum omni humilitate, & reuerentia faciant ipsas artes si tamen iusserit Abbas.

Quod si aliquis ex eis extollitur, pro scientia artis suæ, eo quod videatur aliquid conferre Monasterio, hic talis euellatur ab ipsa arte, & denuo per eam non transeat, nisi fortè humiliato, ei iterũ Abbas iubeat. Si quid veró ex operibus artificum, venundandum est, videant ipsi per quorum manus transigenda sunt, nè aliquam fraudem præsumant inferre. Memorentur Ananiæ & Saphiræ, ne fortè mortem, quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti, vel omnes qui aliquam fraudem de rebus Monasterij fecerint in Anima patiantur. In ipsis autem pretijs non subrepat auaritiæ malum, sed semper aliquantulum vilius detur, quam ab alijs sæcularibꝰ datur, vt in omnibus glorificetur Deus.

Constitutio.

AD huius Sanctæ Regulæ obseruantiam, statuitur, vt nemo inscio Priore artẽ aliquam exerceat, & quid quid Eremitæ fecerint, siuè Coronas, siuè coclearia, aut aliud superiori deferant aut de eius mandato Cellerario in communem dispensam deferendum, nec cuiquam promittere, multò minus donare, aut vendere sine expressa Prioris licentia. Et qui aliter fecerint grauiter puniantur iuxta culpæ qualitatem, & in hoc inuigilet Prior, ita vt infallibiliter obseruetur.

De disciplina suscipiendorum fratrum.

CAP. LVIII.

NOuiter veniat si quis ad conuersionem, non ei facilis tribuatur ingressus; sed sicut ait Apostolus, probentur Spiritus si ex Deo sunt. Ergò si veniens perseuerauerit pulsans, & illatas sibi iniurias, & difficultatem ingressus, post quatuor, aut quinque dies, visus fuerit patienter portare, & persi-

persistere, petitioni suæ, annuatur ei ingressus, & sit in Cella Hospitum paucis diebus; postea autem sit in Cella Nouitiorum, vbi meditetur, & manducet, & dormiat.

Constitutio.

1. AD hanc considerationem probationemuè, quam in recipiendis Nouitijs hic Pater Sanctus requirit, multa sunt hodiè attendenda quorum primum sit ætas, nam minores viginti annorum inceptorum, aspectuq; puerili aut maiores quadraginta quinque ad Eremiticam vitam tanquam insufficientes, ac debiles recipi non possunt, licet in maioribus per Capitulum Generale, vsq; ad quinquagesimum dispensari possit, quæ ætatis ratio, & in Oblatis habenda est.

2. Diligenter inquirantur; an sint Rei, aut delictorum cōmissorum suspecti, pro quibus iam cōdemnandos fore timetur, si supra vires ære alieno grauati, aut ratiocinijs reddendis alicuius administrationis obnoxij, ita vt per hoc lis mota, vel mouenda dubitetur, & vt non sæculi humaniui respectu, sed ex deuotionis, spiritusuè feruore, sponte Religiosam vitam eligant, iuxtà Bullam Sixti V. eiusquè moderationem. Matrimonio quoquo modo obligati, manifesta infamia notati, ac hæreseos suspecti, omninò excludendi sunt; Perquiratur & diligentissimè de eorum legitimis natalibus, moribus, vitæq; anteactæ.

3. Postremè professi alterius Religionis non recipiantur, nisi habita prius informatione vitæ, ac morum eorum, ac licentiæ petitæ, licet non obtentæ suorum

Supe-

Superiorum: & quod non discedant ab eorum Religione ob malas satisfactiones; se maioris perfectionis desiderio, cautè tamen, ac prudenter procedendum, ita vt solummodo Capitulum Generale tales Professos, Nouitiosuè recipere queat.

4. Si quis recipiatur, qui non manifestauerit se fuisse Nouitium alterius Religionis, aut aliquam grauem, incurabilem, aut contagiosam infirmitatem tacuerit, & si talis profiteatur, eijciatur, tanquam professus contrà voluntatem vocalium, qui receperunt, seruata tamen forma sacri Concilij Tridentini *Cap. 19 Sess. 25.* de Regularibus, & declarationi Sacræ Cōgregationis supradicti Concilij 23. Ianuarij 1666. quod tunc procedit, quando in Capitulo pro habitu suscipiendo, professioneuè emittenda, interrogatus, ac intimatus fuerit, suam professionem fore nullam, si quid ex supradictis negauerit, quæ protestationes, ac intimationes, semper in libro actuum Capitulariū Eremi ascribi registrentur.

5. Cessantibus igitur impedimentis, congregentur simul Patres, Maior, Prior, Visitatores, ac Nouitiorum Magister, aut eorum maior pars, absentibus alijs, itá vt minoris partis absentia, non præiudicet: In alijs verò locis, vbi non fuerit Pater maior, eodem modo Prior, Nouitiorum Magister, ac duo Sacerdotes ad hoc à Capitulo conuentuali specialiter electi insimul conueniant, & coram eis Nouitius constitutus, diligenter citra scientiam (si ad Clericatum assumendus erit) ad quem gradum nemo, nisi sufficienter latinam calleat linguam non admittatur, & de alijs vt supra.

6. Qui verò in Cõuersorum Classem asci sci debent, & ipsi de ingenij vigore, & industria, & aptitudine, imò promptitudine ad obedientiam, de corporis viribus, sed super omnia tàm Clerici, quàm Conuersi, de spiritu, an ex Deo sit, ac mundum ex devotione, perfectionisque zelo mundo renuncient, an verò leuitas, vel necessitas aliqua de mundo depellat, interrogetur: si vouerunt Religionem, si ad toleranda aduersa, & ad obediendum prompti sunt.

7. Item prudenter, ac sagaciter, qui ingredi cupit Religionem, interrogetur, an aliquam habeat secretam infirmitatem, si Parentes filij, aut sorores sua præsentia, ac industria egent. Manifestentur ei difficultates, laboresq; quos in Religione passurus est, at si ità examinatus idoneus, liber, & constans â supradictis Patribus inuẽtus fuerit, & approbatus, tunc conuocato Capitulo cõuẽtuali, ipse Pater maior, vel eo absente, idem Prior proponat, ac calculis de more iactis, si maiorẽ partem obtinuerit, electus intelligatur, atq; inter Nouitios in Nouitiatu admittatur, quod si secùs, honestè dimittatur

8. Semel verò receptus à Gñali, vel Cõuentuali tantum Capitulo, non autem à quouis Prælato eijci potest.

9. Ista prima receptio, non statim ad habitum suscipiendum facta m intelligatur, sed solum ad probationem quadraginta dierum, quibus elapsis, tunc noua Capituli approbatione habitus ei concedatur, habita prius à Patribus Maiore, ac visitatoribus venia, quibus primò qualitatis Nouitij informatio transmittatur.

10. Interim prædicta quadragenaria probatione duran-

durante, antequam proprijs vestibus exuatur vt S. Pater monet, Regulam hanc cum constitutione diligenter perlegat, aut si litteras nescit, ab alio legatur, aut summariè substantialia innuentur. Qui accuratè attendere curet, quid sibi faciendum, ac adimplendum est, in eò gradum, ad quem admissus est; & pluries ei dura, & aspera, quæ sustinere debet replicentur, nè amplius ignorantiam valeat allegare.

11. Nec ignorare fas est si in eo statu, seu gradu ad quem semel assumitur, perpetuò esse mansurum, aut saltem ad altiorem nunquam sibi ascensum esse futurum, quam quam ad inferiorem descendi (quale est è Clerico conuersum fieri) plena reseruetur Capitulo Generali dispensandi auctoritas.

12. Præterea antè habitus susceptionem, Nouitius Generalem Confessionem cum suo Magistro faciat, aut cum alio ex expositis Patribus ad maiorem libertatem confessionis. Quibus omnibus, & singulis, feliciter cum Dei adiutorio expeditis, noua Capituli approbatione præmissa, habitus ei more solito tradatur, vt supra dictum est.

13. Ex decreto Sanctæ Memoriæ Alexandri VII. quolibet quarto mense Nouitius in Capitulo Conuentuali calculis exponatur, vbi si maior suffragiorum pars contraria fuerit, dimittatur; si verò maior pars propitia, ac fauens, aut etiam æqualis existat, prosequatur suum Nouitiatum, quod de duobus intermedijs scrutinijs intelligatur; In approbationibus autem ad habitum, & professionem, maior pars fauorabilis omninò esse de-

bet; dicta autem duo intermedia scrutinia fieri solent pro omnibus Nouitijs simul, licet non omnes in quarto existant mense, secundum discretã prudentiã Patris maioris, aut Prioris respectiuè, dum modo dicta tria scrutinia præcedant.

14. Oblati à Capitulo Conuentuali recipiũtur, præmissâ licentia Patris maioris, ac visitatorum quolibet tempore, & loco, vbi sub disciplina alicuius Patris maneant, quousq; religiosos mores, & quæcunq; ad verum Christianum, necessaria sunt ad salutem animæ didicerint. Habeatur tractatus priùs, ac diligens fiat inquisitio de eorum vita, ac moribus, atque etiam de valetudine, corporisq; viribus, ac si aliquo impedimẽto detineantur.

15. Qui postquam annum expleuerint in habitu Religionis, non nisi à Capitulo Generali, Dietæ, aut Patris maioris, ac Visitatorum, & ex graui admodum causa expelli possint, licet ad eorum beneplacitum redire possint ad sæculum.

16. Cum benè se in Religione gesserint, post septennium in Cònuersorum numerum à Capitulo generali coaptari possunt, ex sola tamen gratia, ac beneplacito dicti Capituli Generalis. Et sciendum quod quando pro Conuersis proponuntur, si maior pars votorum fauorabilium deficeret, non ideò à Religione excluduntur, sed vt prius, oblati, remaneant.

17. In eorum insuper ingressum publico mediante Instrumento Deo se offerent, Religioniq; gratis seruire promittent, renunciantes eorum medio iuramento cuicunq;

cunq; mercedi, aut remunerationi pro laboribut exhibitis; qui verò tale noluerint conficere inſtrumentum, reijciantur; At ſi aliqua in ingreſſu Religionis dederint ſiuè mobilia, ſiuè immobilia, ſiuè pecunias numeratas in diſceſſu ſingula ſinè fructibus reſtituantur. Si quis oblatus ſponte exierit, vel à Religione licentiatus fuerit, numquam recipiatur.

18. Non poſſunt Oblati pecunias, aut rem aliquam propriam penes ſe retinere, ſed omnia apud Cellerarium ad conſeruatiònem deponantur, vt ſuprà, & ſi bona ſtabilia poſſideat, non faciat fructus ſuos, donec in Religione vixerint, ſed intra primum annum de bonis, ac fructibus ad eorum libitum diſponere teneantur, quia in Religione nihil proprium habere poſſunt.

Sequitur Regula.

ET Senior ei talis deputetur, qui aptus ſit ad lucrandas animas, qui ſuper eum omninò curioſè intendat, & ſollicitus, ſi verè Deum quærit, & ſi ſollicitus eſt ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria.

Conſtitutio.

1. AD Sancti Patris Doctrinam adimplendam ſtatuitur, vt Nouitiorum Magiſter ſolum à Capitulo Generali eligatur, qui non iuuenis, ſed ſenex nondum ætate, ſed morum, ſcientiâ, in inceſſu grauis, ac in omnibus ſuis actibus exemplaris, Sanctique ſilentij amator, atq; in Religione ſaltem per quadriennium verſatus, niſi aliter iuſtis de cauſis Capitulum Generale decreuerit, & ſit alios docere Peritus.

2. Attendat is semper discipulos suos ad perfectionem spiritualem promouere eorum naturales affectus, corruptasq; consuetudines cum charitate, verbis, monitionibus retundere, mortificare, radicitusq; assiduis correctionibus euellere, nec non vitiorum loco, virtutes, ac maximè vtilitatem, obedientiam plantare. Instruat deindè eos in his, quæ ad diuinum cultum pertinent, tùm in horis Canonicis ritè secundum Regulas Breuiarij persoluendas, tùm in solitis cæremonijs, cum humili gestu, & modestia, sollicitudine, deuotioneq; obseruandis, tùm etiam in solitudine Cellæ, in oris custodia visus modestia, strenuè retinendis. Et in reliquis omnibus, in quibus internus, extrernusq; veri Religiosi ornatus consistit, ac præcipuè instruat in oratione mentali,

3. Præterea ad minus semel in die eos, & Cellas eorum visitabit, & eis oportunis temporibus necessaria præbebit, & curam animarum eorum sollicitè geret, atq; sæpè aliquo exercitió spirituali eos depascet. Post completorium tandem illis cōuocatis, seorsum eorum culpis (prout ipsi de omnibus defectibus illa die commissis, eas dicere tenentur) auditis, pænitentijsq; iniunctis necessaria monitiuncula præmissa, eos benedicat: Benedictio Dei Patris omnipotentis &c.

4. Meminerit autem perpetuò Nouitiorum Magister, tales omnino suos discipulos futuros vsq; ad mortem, quales ipsi suis instructionibus, & exemplis tempore probationis effecerit, sciens vberem à Deo mercedem suorum laborum, recepturum.

5. At

5. At è contrà si non rectè se habeat, possit loci Prior, cum duorum ex Senioribus Patribus, interuentu, illum ab officio suspēdere, & alium in eius locum subrogare, donec superiores aliter prouiderint.

Sequitur Regula.

PRædicentur ei dura, & aspera, per quæ itur ad Deum, & si promiserit de stabilitate sua perseuerantia post duorum mensium circulum, legatur ei hæc regula per ordinem, & dicatur ei. Ecce lex, sub qua militare vis, si potes obseruare, ingredere, si verò non potes liber discede, si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam Cellam Nouitiorum, & iterum probetur in omni patientia. Et post sex mensium circulum, relegatur ei Regula, vt sciat ad quid ingreditur, & si adhuc stat post quatuor menses iterum relegatur ei eadem Regula, et si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire, & cuncta imperata seruare: tunc suscipiatur in Congregatione, sciens se sub lege Regulæ constitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi de Monasterio, nec collum excutere de sub iugo regulæ, quam sub tàm morosa deliberatione, licuit recusare, aut suscipere. Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conuersione morum suorum, & obedientia coram Deo, & Sanctis eius, vt si aliquando aliter fecerit, à Deo se damnandum sciat, quem irridet. De qua promissione sua, faciat petitionem ad nomen Sanctorum, quorum Reliquiæ ibi sunt, & Abbatis præsentis quam petitionem manu sua scribat, aut certè si non scit litteras, alter ab eo rogatus scribat, & ille nouitius signum faciat, & manu sua, eam super Altare po-

re po-

re ponat. Quam cum posuerit, incipiat ipse Nouitius mox hunc versum, Suscipe me Domine secũdum eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea. Quem versum omnis congregatio tertio respondeat, adiungentes, Gloria Patri &c. *Tunc ipse frater Nouitius prosternatur singulorum pedibus, vt orent pro eo, & iam ex illa hora in Congregatione reputetur.*

Constitutio.

POstquàm per annum varijs exercitijs, ac correctionibus probatus est Nouitius, ac in suo gradu probè exercitatus, tunc iterum legat, aut legatur ei regula, & Constitutiones, vt supradictum est, vt plenius deliberare valeat, velit ne discedere, vel perseverare. Quod si interrogatus constans inuentus fuerit, si Capitulo, audito ab ipso Magistro, & alijs de eius moribus & in Religione progressu, discussione facta, eum tanquam idoneum, ac benemeritum, ad Professionem admiserit, præmissa iterum confessione Generali saltem illius anni, profiteatur, secundum formam in fine constitutionum apposita. Quam professionem ipsemet Nouitius manu propria subscribat. præsentibus duobus testibus sæcularibus, siuè fratribus, qui pariter se subscribant. Quæ professio intelligatur semper facta ad præscriptũ Sanctæ Regulæ ac nostrarum Constitutionum sub eadem vita Communi, ita vt nunquam sic professus ex quauis antiqua consuetudine prætendere posset se liberum, ac immunem ab vlla, vel minima obseruantia his in constitutionibus expressa, qui vsus, ac consuetudines forsan introductæ, abusus, ac corruptelæ nominentur.

Sequi-

Sequitur Regula.

R Es, si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut factâ solemniter donatione conferat Monasterio, nihil sibi reseruans ex omnibus, quippe qui ex illo die, nec proprij corporis potestatem se habiturum sciat. Mox ergò in oratorio exuatur rebus proprijs, quibus vestitus est, & induatur rebus Monasterij. Illa autem vestimenta, quibus exutus est, reponantur in vestiario conseruanda, vt si aliquando suadente Diabolo, consenserit, vt egrediatur de Monasterio, (quod absit) tunc exutus rebus Monasterij proijciatur: illam tamen petitionem, quam desuper Altare Abbas tulit, non recipiat, sed in monasterio seruetur.

Constitutio.

1. VT hæc Regulæ dispositio sincerius sortiatur effectum, vestes, ac pecuniæ, & quæcunq; secum attulit Nouitius, illico suscepto Religionis habitu, penes Cellerarium in custodiam, & conseruationem deponantur. Quæ res nullo modo antè eius professionem, neque à superioribus, neque à Cellerario, nec ab ipso etiam Nouitio, vel eius iussu, ab ipsa dispensa extrahi, nec distrahi debent quocunq; nomine, vel prætextu venditi, vel commodati, nec eleemosynæ quidem, sed ipse Nouitius ante professionem de rebus suis plenè, ac liberè disponat.

2. Nec ab eo quisquam pro se, vel pro alijs petere audeat quidquam sub pæna circularis disciplinæ, quam etiam incurret, qui petere suggesserit, vel antè professionem aliquid de eius rebus disposuerit.

3. Attamen si ipse de rebus suis, disponere recusauerit, aut certè uoluerit, eo casu quæcunq; ex eius spolijs remanent, in vsum Ecclesiæ cōuertantur, in ornamentis scilicet Altarium, ac sacrarij; idem de eleæmosynis in Ecclesia relictis obseruandum.

4. Quæ omnia si quis ad alium vsum conuerterit, ter in pane & aqua ieiunet, & legata Congregationi relicta, non nisi in vsum à Benefactore statutum, conuertantur.

5. Quoad verò ad acceptationem missarum perpetuam, obseruetur omninò decretum Sac. Congregationis Concilij de celebratione Missarum, suisq; congruis temporibus adimpleantur, & missæ quotidianæ non recipiātur, si congruo tempore adimpleri non possunt. Nec anticipatè pro personis, aut eleæmosynis incertis applicentur: nec obligentur Sacerdotes continuò celebrare, sed bis in hebdomada secundum eorum intentionem, & quinq;, quæ restant ad superioris intentionem, secundum quam tenentur celebrare: qui duo dies non habeant in hebdomadis, in quibus Eremi obligationibus satisfit.

6. Si autem aliquis Nouitius mendax inuentus fuerit circa sua grauia propalanda impedimenta, antè professionem expellatur; at si post professionem detegatur, grauiter puniatur; dummodo professio nulla non sit.

De Filijs Nobilium, vel Pauperum qui offeruntur.

CAP. LIX.

Si quis

SI quis forte de Nobilibus offert filium ſuum Deo in Monaſterio, ſi ipſe puer minori ætate eſt, parentes eius faciant petitionem, quam ſupradiximus, & cum oblatione ipſam petitionem, & manum Pueri inuoluăt in palla Altaris, & ſic eum offerant. De rebus autem ſuis, aut in præſenti petitione prŏmittant ſub iureiurando, quia nunquam per ſe, nunquam per ſuſpectam perſonam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occaſionem habendi. vel certé ſi hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in eleæmoſynam Monaſterio prŏ mercede ſua, faciant ex rebus, quas dare volunt Monaſterio donationem, reſeruato ſibi (ſi ità voluerint) vſu fructu; atq; ità omnia obſtruantur, vt nulla ſuſpicio remaneat puero, per quam deceptus perire poſſit (quod abſit) quod experimento didicimus: Similiter autem, & pauperes faciant. Qui verò ex toto nihil habent ſimpliciter petitiónes faciant, & cum oblatione offerant filium ſuum coram teſtibus.

Conſtitutio.

CVm dictum ſit ſuprà, ſolum maiores viginti annorum in noſtra Congregatione recipi poſſe, non eſt, quod hic de impuberibus, minoribusuè tractemus.

De Sacerdotibus, qui voluerint in Monaſterio habitare.

CAP. LX.

SI quis de ordine Sacerdotum in Monaſterio ſe ſuſcipi rogauerit; non ei quidem citius aſſentiatur. Tamen ſi omnino perſtiterit in hac ſupplicatione, ſciat ſe omnem Regulæ diſciplinam ſeruaturum, nec aliquid ei relaxabitur, vt ſit, ſicut

ſcriptum eſt. Amice ad quid veniſti? concedatur ei tamen poſt Abbatem ſtare, & benedicere, aut miſſas canere, ſi tamen iuſſerit ei Abbas, ſin alias, nullatenus aliqua præſumat. Sciens ſe diſciplinæ Regulari ſubditum, & magis humilitatis exempla omnibus det. ſi fortè ordinationis, aut alicuius rei cauſa fuerit in Monaſterio, illum locum attendat, quando ingreſſus eſt Monaſterium, non illum, qui ei pro reuerentia Sacerdoti conceſſus eſt. Clericorum autem ſi quis eodem deſiderio Monaſterio ſociari voluerit, loco mediocri collocetur, & ipſe tamen ſi promittat de obſeruatione Regulæ, vel propria ſtabilitate.

Conſtitutio.

1 SAcerdotes qui animo perſeuerādi in noſtram Cōgregationē venient, ſimul atq; habitum Eremiticum ſuſceperint, ſuper omnes Clericos, ſub tamen omnes Sacerdotes non ſolum profeſſos, ſed etiam Nouitios collocantur. At Clerici cum Præsbyteri effecti fuerint, ſupra dictos Sacerdotes, locum recuperabunt.

2. Nouitij Sacerdotes non fungantur officio hebdomadarij in Choro, nec in Altari Conuentualem miſſam celebrare: & ad minus trium annorum ſpatio omnes functiones, quas faciunt Clerici Profeſſi, exerceant, nec in alijs, quam Clericorum obedientijs miſceantur.

3. At Clerici cuiuſcunq; gradus, licet Diaconi exiſtant, poſt habitus ſuſceptionem, nulli prius recepto Nouitio præcedant, ſed donec Sacerdotes fiant, inferiorem locum retineant.

4. Sacerdotes illi, qui ex deuotionis, vel alterius rei cauſa Eremos noſtras inuiſunt, dum ibi commorantur, ſi Epi-

si Episcopi aut Prælati sint, in omni loco præcedant Priores. Reliqui verò Præsbyteri, qui aliqua dignitate Ecclesiastica, scientiâ, vel nobilitate pollent, superioribus vtiq; cedere solent, reliquis omnibus præire.

4. Idipsum in Religiosis viris hospitibus obseruari solet. Demum hæc hospitum & insignium personarum promotio, absolutè ex superioris arbitrio pendet.

De Monachis Peregrinis qualiter suscipiantur.

CAP. LXI.

SI quis Monachus Peregrinus de longinquis Prouincijs superuenerit; si pro hospite voluerit habitare in Monasterio, & contentus fuerit consuetudine loci, quam inuenerit, & non forte superfluitate sua perturbet Monasterium, sed simpliciter contentus est quod inuenerit, suscipiatur, quanto tempore cupit. Si qua sanè rationabiliter, & cum humilitate charitatis reprehendit, aut ostendit, tractet Abbas prudenter, nè forte eum propter hoc ipsum Dominus direxerit. Si verò postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas, & maximè quia tempore hospitalitatis, potuit eius vita dignosci. Quod si superfluus, aut vitiosus inuentus fuerit tempore hospitalitatis, non solum non debet sociari corpori Monasterij, verùm etiam dicatur ei honestè, vt discedat, ne eius miseria etiam alij vitientur. quod si non fuerit talis, qui mereatur proijci, non solum si petierit suscipiatur, Congregattoni sociandus, verùm etiam suadeatur, vt stet, vt eius exemplo alij erudiantur, & quia in omni loco, vni Domino seruitur, vni Regi militatur. Quem si etiam talem prospexerit Abbas, liceat eum aliquantulum in

superiori constituere loco, non solum autem Monachum, sed etiam de supradictis gradibus Sacerdotū, vel Clericorum stabilire potest Abbas in maiori, quàm ingreditur loco, si eius talem prospexerit esse vitam. Caueat autem Abbas nè aliquando de alio noto Monasterio, Monachum ad habitandum suscipiat sinè consensu Abbatis eius, aut Litteris comendatitijs, quià scriptum est, quod tibi non vis fieri alteri nè feceris.

Constitutio.

QVomodo alterius Ordinis Religiosi apud nos recipiantur dictum est suprà. Jlli verò, qui ad nostras Eremos visuri accedunt, maximâ charitate excipiantur, ac tractentur, tùm quia Peregrini, tùm quia Religiosi sunt: sed vltrà triduum commorari non permittantur, ne ipsi in hospitio otio delitescant, & Domus expensis grauetur.

De Sacerdotibus Monasterij

CAP. LXII.

SI quis Abbas sibi Præsbyterum, vel Diaconum ordinari petierit, de suis eligat, qui dignus sit Sacerdotio fungi: ordinatus autem caueat elationem, aut superbiam, ne quicquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur, sciens se multò magis disciplinæ regulari subditum. Nec occasione Sacerdotij obliuiscatur Regulæ obedientiam, & disciplinam, sed magis, ac magis in Deum proficiat: locum verò illum semper attendat, quo ingressus est Monasterium, præter officium Altaris, & si fortè electio Congregationis, & voluntas Abbatis pro vitæ merito eum promouere voluerit, qui tamen Regulam à Decanis, vel Præpositis constitutam, sibi seruandam sciat. Quod si aliter per-

præsumpserit, non vt Sacerdos, sed vt rebellis iudicetur, & sæpè admonitus, si non correxerit, etiam Episcopus adhibeatur in testimonium. Quod si nec se emēdauerit, clarescentibus culpis, proijciatur de Monasterio, si tamen talis fuerit eius contumacia, vt subdi, aut obedire regulæ nolit.

Constitutio.

1. CLericorum ad ordines promotio, solius Capituli Generalis, vel Dietæ est facultas; præmissa diligenti, plenaque à Patribus visitatoribus informatione, an promouendus habeat requisita, qui Patres in actu visitationis, vna cum loci Priore, exactè considerent num sufficienti scientia sit instructus, tùm mores scrutentur, ac præcipuè an in eo regnet humilitas.

2. Nullus ad Præsbyteratum promoueatur, nisi post professionis quinquennium, licèt in hoc, si idoneam personam iudicabitur, Capitulum Generale dispensare possit.

3. Qui se ipsum promouere fecerit, absque Capituli Generalis licentia, seù Dietæ suiuè superioris, disciplina circulari mulctetur, ab ordinibus suspendatur, ac degradetur, maneat scilicet infrà omnes alios professos ordiñatos. Qui autem absq; dictis facultatibus quempiam fecerit promoueri, circulari pariter disciplina, alijsq; arbitrio superioris pænis puniatur.

4. Diligenter curabunt superiores, vt Clerici à Capitulo Generali, vel Dieta promoti, suis congruis tèmporibus ordinentur.

5 Antequam ad sacros ordines Clerici promoueantur,

tur, Priores diligenter in Sacramētorum doctrina versari faciant, eosq; qui Sacerdotio initiandi sunt, vt cæremonias casusuè, qui euenire possunt, Theologiamq; moralem addiscant. Conuersique

6. Quamvis Eremitæ nostri ex Pauli terrij facultate, prædicationis officio fungi possint; nemo tamen sinè Capituli Generalis venia in praxim deducat.

7. Fratres ~~Laici~~ caueant nè causâ lectionis, negligentes ad obedientiam reddantur: Ideoq; statuitur, vt ex dictis nullus plusquam duos codices, vltra officium Beatæ Virginis, doctrinam Christianam, præsentisq; Constitutionis sub ieiunio in pane, & aqua retinere possit.

De ordine Congregationis.

CAP. LXIII.

ORdines suos in Monasterio ità conseruent, vt conuersionis tempus, & vitæ meritum discernit, vel vt Abbas constituerit. Qui Abbas non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi liberâ vtens potestate, iniustè disponat aliquid, sed cogitet semper, quod de omnibus Iudicijs, & operibus suis redditurus est Deo orationem. Ergò secundum ordines, quos constituerit, vel quos habuerint ipsi fratres, sic accedant ad pacem, ad Communionem, ad Psalmum imponendum, in Chorum standum, vt in omnibus omninò locis ætas non discernatur in ordine nec præiudicet, quia Samuel, & Daniel pueri Præsbyteros iudicauerūt. Ergò exceptis his (quos, vt diximus) altiori consilio Abbas prætulerit, vel degradauerit, certis ex causis, reliqui omnes, vt conuertuntur, ità sint,

vt

vt V. G. qui ſecunda diei horâ venerit, in Monaſterio Iuniorem ſe nouerit eſſe illo, qui primâ hora diei venit, cuiuslibet ætatis, aut dignitatis ſit. Pueris verò per omnia ab omnibus diſciplina teneatur.

Conſtitutio.

1. CVm ex dignitate, ſeù antiquitate locorum ſæpè prælatio deſcendere ſoleat Prælatorum. Sciendum eſt Sacram Montis Coronæ Eremum, totius Congregationis caput eſſe; poſtea Priores infraſcriptarum Nationum Nouitiatorum ſequuntur. Ideò illi Prior S. MARIÆ de Rhua ſuccedit, tertiùs S. MARIÆ Coronatæ, quartus Montis Argentini, ſicquè alij iuxtà locorum erectionem, ac antiquitatem.

2. Sic ſupremæ Congregationis Pater, Maior dictus, omnibus Religionis Prælatis quocunq; loco, ac tempore præeſt, qui in prædicta ſacra Eremo Montis Coronæ (niſi neceſſaria negocia aliò euocent) commorari ſolet.

3. Ibi duo viſitatores ei continuè aſſiſtunt, penes quos cum Patre maiore vniuerſale totius Congregationis regimen conſiſtit, & hi Prioribus præibunt omnibus in locis eorum reſidentijs exceptis, ideſt intrà clauſuram, in qua etiam præcedent, in actu viſitationis.

4. Inter viſitatores, qui primus eſt in electione præibit, licet inferior profeſſione fuerit.

5. Quilibet in ſua Eremo Prior (licet alij ibi ſint Prelati) omnes alios, vt ſupradictum eſt, præcedet, qui tamen cum ſimul conueniunt, alter alteri iuxtà ordinem,

ac prioritatem locorum suorum sibi inuicem cedunt, post hos Magister Nouitiorum collocatur.

6. Quicunq; alij Sacerdotes, Clerici, & Conuersi, aut oblati fuerint in casu præcedentiæ, tempus suæ professionis in hac Congregatione non alibi emissæ, obseruabunt.

7. Priores, ac visitatores hospites, omnibus locorum superioribus non graduatis, ac vice Prioribus antecellere consueuerunt: hoc autem quoad Mensæ, eiusq; benedictionem, ac Ecclesiasticarum functionum procedit, Salua semper Domus administratione, ac familiæ superioritate superiori, ac vicepriori supradictis remanente.

8. Primam vtriusq; chori sedem, nemo, nisi proprij ipsius loci Prælatus occupabit.

Sequitur Regula.

IVniores ergò, Priores suos honorent, Priores Iuniores suos diligant. In ipsa autem appellatione nominum, nulli liceat alium puro appellare nomine, sed Priores iuniores suos, fratres nominent. Iuniores autem Priores, suos Dominos vocent, quod intelligitur paterna reuerentia. Abbas autem, quia vices Christi agere videtur, Dominus, & Abbas vocetur, non sua assumptione, sed honore, & amore Christi. Ipse autem cogitet, & sic se exhibeat, vt dignus sit tali honore. Vbicūque autē sibi obueniant fratrés Iunior à Priore benedictionem petat, transeunte maiore, Iunior surgat, & det ei locum sedendi, nec præsumat Iunior consedere, nisi ei præcipiat Senior suus, vt fiat, quod scriptum est; honore inuicem præuenientes. Pueri

verò,

verò, vel adolescentes in oratorio, vel ad mensam cum disciplina ordines suos consequantur: foris autem, vel vbi custodiam habeant, & disciplinam vsque dum ad intelligibilem ætatem perueniunt.

Constitutio.

1. EX hoc regulæ textu, omnes Eremitæ addiscant, sẽper Patri maiori genuflectere quoties eũ alloquuntur, vel obuiam in Eremo habent, sicq; tẽpore Capituli Præsidenti, quod & ante Priorẽ loci in Cella tantummodo faciendum est, eodem modo Nouitij coram Magistro faciant.

2. At reliquis Sacerdotibus, ac Prælatis, caput detegere, & humiliter se inclinare sufficit: Antiquioribus item semper inferior sedens assurgat, & capite aperto aliquantulum humiliter.

3. Et generaliter non solum Nouitij, Junioresué, sed omnes vicissim singulos à Regula præscriptos mores obseruabunt, vti sunt inclinationes, apertiò capitis, ac alia signa ciuilia, ac reuerentiæ.

4. In nominandis, vocandisq; Patribus consueuit nostra Congregatio sic vocare, Pater maior, Pater Pręsidens, Pater Prior, ac Sacerdotes simplices, Frater Romualdus &c. & omnes alij simpliciter vocentur, oblati quoque fratres, quæ simplicitas semper est obseruanda.

De ordinando Abbate.

CAP. LXIV.

IN Abbatis ordinatione illa semper consideratur ratio, vt hic constituatur, quem sibi omnis concors Congregatio secundum timorem Dei, siuè etiã pars, quamuis parua Congregationis saniori consilio elegerit: vitæ autem merito, & sapientiæ doctrina eligatur, qui ordinandus est, etiam si vltimus fuerit in ordine Congregationis. Quod si etiam omnis Congregatio vitijs suis (quod quidem absit) consentientem personam pari consilio elegerit, & vitia ipsa aliquatenus in notitiam Episcopi, ad cuius Diœcesim pertinet locus ipsè, vel Abbatibus, aut Christianis vicinis claruerint; prohibeant prauorum prævalere consensum, sed domui Dei dignum constituant dispensatorem, scientes pro hoc se recepturos mercedẽ bonam, si illud castè, & Dei Zelo faciant, sicut è contrario peccatum incursuros, si negligent. Ordinatus autem Abbas semper cogitet quale onus suscepit, & cui redditurus est rationem villicationis suæ, sciatq; sibi oportere prodesse magis, quàm præesse. oportet ergò eum esse doctum lege diuina, vt sciat, vndè proferat noua, & vetera, castum, sobrium, misericordem, & semper superexaltet misericordiam iudicio, vt idem ipse consequatur, oderit vitia, diligat fratres. In ipsa autem correptione prudenter agat, & nè quid nimis, nedum nimis cupit eradere eruginem, frangatur vas; suamq; fragilitatem semper suspectam habeat, memineritq; calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus, vt permittat nutriri vitia, sed prudenter, & cum charitate ea amputet, prout viderit vtiq; expedire (sicut iam diximus) & studeat plus amari, quàm timeri. non sit turbulentus, & anxius, non sit nimis obstinatus, & non sit Zelotypus, & nimis suspiciosus, quià nunquam requiescét. In ipsis Imperijs suis sit prouidus, & consideratus, siuè secundum Deum, siuè secundum

secu-

sæculum sint. Opera quæ iniungit discernat, & temperet, cogitans discretionem Sancti IACOB dicentis: si greges meos plus iam ambulando fecero laborare, morientur cuncti vno die. Hæc ergo aliaq; testimonia discretionis matris virtutum sumẽs, sic omnia temperet, vt sit, quod & fortes cupiant, & infirmi non refugiant, & præcipuè vt præsentem Regulam in omnibus seruet: vt cum benè ministrauerit, audiat à Domino, quod seruus bonus, qui erogauit triticum conseruis suis in tempore suo. Amen dico vobis, super omnia bona constituet eum.

Constitutio.

1. ANtè omnia Priorem, doctrinæ Sanctissimi Patris diligentem obseruatorem esse oportet, vt sibi ipsi consulere, gregiq; suo præesse sciat.

2. Cum primum ergò novus Prior in suam Eremum deuenerit, singulorum Cellas visitet, vt sciat quid cuiq; concedere, quiduè negare debeat, ac deindè de domo sua ordinanda, ministrisq; eligẽdis prouidè cogitabit; præmissa igitur admonitione, longaq; facta oratione, ipse cum alijs, adquos elatio pertinet, per diem saltem præmeditabuntur, qui digni sint familiæ officiales.

3. Atque tunc conuocato de more Capitulo, & absolutis præteritis ab obedientijs suis, diligentes & timoratos rerum agendarum Ministros, solita calculatione constituant.

4. Quorum primus erit Sacrista, secundus Bibliotecarius, tertius Scriba Capituli, quartus Archiuista, quintus Cellerarius, sextus Dispensatòr, septimus In-

firmarius, octauus Pistor, nonus Cellæ vinariæ custos, decimus fructuum distributor, vndecimus Coquus, duodecimus Ianitor, tertius decimus Hospitarius, quartus decimus Barbitonsor, quintus decimus Vestiarius, sextus decimus pannarius, decimus septimus ferramētarius, decimus octauus Hortolanus, decimus nonus Syluarum custos. Facta autem prædicta electione antè Completorij lectionem, omnibus in Capitulo existētibus, eorum ordinatio distinctè legatur, qui omnes, & singuli obedientiam sibi iniunctam alacri animo, & absq; murmuratione amplectantur, & pro viribus adimplere conentur, scientes per obedientiam Deo suo gratos esse futuros, Quæ obedientiarum distributio, non solum cum Priorè Capitulo reuertitur, fiat, sed etiam quando completa fuerit Dieta.

5. Si numerus verò fratrum minor fuerit, bonas, vel plures obedientias Frater vnus Idoneus, & sufficiens habere poterit, & è conuerso vbi numerus abundat, vna, in duos si opus fuerit, diuidatur.

6. Atsi infra annũ fortè aliquis, ob suas negligentias, vel defectus suos priuandus sit officio, novusq; sit constituendus Minister; tunc Prior cum consilio saltem seniorum rem exequatur.

7. Hoc ergò modò, dispositâ Domo, & ordinata familia, curet Prælatus sollicitè Pastoris boni more, frequenter suas oues recognoscere, eisdemq; salutare pasculum præbere. Quod profectò fiet, si singulis Sabbathis (aut Sabbatho impeditò) alio die, Capitulum, vt vocant culparum post primam tenuerit, in quo ali-

qua

qua pia ad fratres exhortatio, ex quadam Sacræ ſcripturæ auctoritate, vel ex ſequenti Dominicæ Euangelio, vel ex Regulæ Sanctæ. Conſtitutioneuè, doctrina deſumpta præmittatur. Prior omnino ſingulis Sabbathis Culparum Capitulum habere teneatur, niſi grauiſſima vrgeat cauſa, nec quia ſupradictum ſpiritualem diſcurſum non parauerit, omittat, duplicitèr enim erraret, ſi totum ob tàm leue cauſam omitteret, qui verò ex Prioribus in hoc negligens fuerit, à Patribus viſitatoribus puniatur.

8. Ac deindè ſpecialiter, quæ in ſequenti debdomada ſeruanda, faciendaue ſunt, annuncient, veluti feſta ex præcepto, ieiunia vigiliarum, ac quatuor temporum, ſi anniuerſaria dicenda, Communionem faciendam, Communem refectionem, obſeruantiarum, officijq; mutationem cum dubiorum occurrentijs & ſic de alijs, quæ accidere ſolent declaratione.

9. Conſtituat inſuper, & omnia quæ ad regimen, & conſeruationem Domus, atq; familiæ ſpectant, nec non generaliter omnes cum feruore hortetur ad obſeruantiam Sanctæ Regulæ, ceremoniaſq; adimplendas cum efficaci reprehenſione defectuum commiſſorum, & exhortatione ad emendationem, ac Sancti propoſiti augmentum &c.

10. Nec obliuiſcatur vnquam generaliter, Sanctam Eccleſiam, Animas defunctorum, Benefactores tàm viuos, quàm mortuos, omneſq; in neceſſitate conſtitutos, & aliqua, quæ ſæpè accidunt accidunt, fratrum orationibus fideliter commendare.

11. Nec

11. Nec (si hoc dies ipsa requirat) silentium dispensare prætermittat, & mox per suum quisque gradum, culpas, negligentias, transgressiones, & omnia, in quibus se errasse cognoscet, humiliter, ac genuflexus alta & intelligibili voce dicat, idquè coram ipso Priore, facie tamen ad Altare versa, & cum breuitate secreta nihilominus peccata confessioni relinquens.

12. Professi, qui adhuc in Nouitiatu cum Nouitijs morantur primi erunt, qui statim dictâ culpa, omnes pariter foras egredi debent, sequuntur postea Sacerdotes secundum ordinem dignitatis, & Professionis, qui finitâ accusatione se toto corpore solotenus versa facie ad superiorem prosternant; ac tandiu sic maneant quousq; ipse signum dederit, quo auditò erigant se in genua, donec pænitentiâ data, alio signo dimittantur.

13. Superior verò circumstantijs rerum, ac personarum maturè consideratis, vnicuiq; vulneri proprium adhibeat medicamentum, frequentando potius pænitentias illas, quæ animum humiliant, quàm quæ corpus affligunt, poteritq; mutare, & alterare, moderari, atq; in toto, vel in parte relaxare, taxatas in his Constitutionibus, & alias etiam imponere pænitentias, sicut melius viderit ad animarum salutem conducere.

14. Sit hoc in loco diligens Prior vnumquemq; admonere, vel corrigere iuxtà demerita eorum, eisquè debitam pænitentiam assignet, quam omnes fideliter adimplere sinè mora debent.

15. Non omittat superior negligentes, vel recusantes

ſantes ad Capitulũ accedere per aliquem vocari,quos, niſi legitimam cauſam allegauerint, ſeuerè puniat.

16. Si reprehenſus, vel correctus frater, de conſcientia munda ſe purgare voluerit, ſemel audiatur; at ſi poſt excuſationem culpabilis remanet, duplex exindè reportet ſuppliciũ, nec quicquam moretur Prælatus, quamuis eodem tempore reus, maiorem, aut ſupremum Tribunal appellet, ſed his non obſtantibus, quod agendum eſſe præviderit, ſecurus exequatur.

17. Quod tamen in regularibus pœnitentijs procedit, at ſi pænitentia grauis fuerit, vt puta diſciplinæ circularis,aut carceris (dummodo non ſit pro cuſtodia,aut contumacia, aut vltra dies quindecim) ſi ſubditus apellauerit, Prior ad executionem non procedet, donec per ſe ipſum & per Reum ſuperiori,cui appellatum denunciatum fuerit, ac per eundem cauſa cognoſcatur.

18. Priores ſicut & alij omnes (id quod nomen Eremitæ ſignificat) adimpleant reſidentes iugiter in Eremo, rariſſimè , niſi extrema cogat neceſſitas, exeant.

19. Rurſus ad conſeruationem rerum domeſticarum patrimonij ipſius loci cum debita diligentia, curent Priores, ſcripturas, contractus, Inſtrumenta, Bullas Apoſtolicas, & quæcunq; ad rem faciunt habere, recuperare,& in quodam Archiuio,ſeu arca benè clauſa,& cuſtodita ſeruare,nec non & libellum conficiant, in quo contineãtur ſummaria dictarum ſcripturarum, & Archiuiſtæ cuſtodiâ ſeruentur.

20. Notent præterea, & ſecum habeant ea acta Capitu-

pitularia, quæ ad locum ſuum, & ad communes obſeruantias pertinent. Deſcribantur etiam omnia acta Capituli conuentualis cum ſuis circumſtantijs dierum, & annorum.

21. Sit quoque in ſingulis Eremis noſtris, & alius libellus, in quo nomen, & loci Patriæ, dies ingreſſus, ac profeſſionis, cuiuſq; Eremitæ, præmiſſo nomine, ac cognomine, quo vocabatur antè habitus ſuſceptionem: item fugitiuorum, expulſorum, ac licentiatorum fiat memoria, quo facilius ab omnibus cognoſcantur. Sic tandem, & Defunctorum nomina, & obitus dies diligenter notentur, pro quibus ſtatim ſolitas preces fieri, & ab ipſius loci Priore cum diligentia alijs Societatis Prælatis notificari debent, vt & ipſi ſuis in locis ſimiliter faciant.

22. Sit item, & alius libellus, vbi annuatim acta Capitularia cuicunque Priori data, & in actu viſitationis à viſitatoribus.

23. Nullus Prior poteſt noua ædificia erigere, niſi loci reditus expenſas ſuperent, ità vt ex reſiduo perfici queant, alias aut eleæmoſynis, aut alio quouis ſubſidio conſtruantur.

24. Noua non fundentur ædificia, donec quæ cæpta reperiuntur ad debitum finem perducantur ſiuè ſuperiorum licentia. Ad nouum autem aliquod opus conſtruendum, duo prius obtinenda ſunt, licentia ſcilicet ſuperiorum, Conuentualiſq; Capituli conſenſus.

NB

25. Non omittant Priores ſingulis bimeſtribus, Patres Maiorem, ac Viſitatores de eorum familia facere certiores.

De Præposito Monasterij.

CAP. LXV.

Sæpius quidem contingit, vt per ordinationem Præpositi scandala grauia in Monasterijs oriantur, dum sunt aliqui maligno spiritu superbiæ inflati, qui existimantes se secundos Abbates, assumentes sibi tyrannidem scandala nutriunt, & dissensiones in Congregatione faciunt, & maximè in illis locis, vbi ab eodem Sacerdote, vel ab eisdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipsis etiam, & Præpositus ordinatur. Quod quam sit absurdum facilè aduertitur, quia ab ipso initio ordinationis materia ei datur superbiendi, dum ei suggeritur à cogitationibus suis exutum se à potestate Abbatis sui, qui ab ipsis est ordinatus, à quibus & Abbas. Hinc suscitantur inuidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, dissensiones, & inordinationes, & dum contraria sibi inuicem Abbas, Præpositusq; sentiũt, & ipsorum necesse est sub hac dissensione animas periclitari: & hi qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem cuius periculi malum illos respicit in capite, qui talibus in ordinatione se fecerunt auctores. Ideoq; nos præuidemus expedire propter pacis, charitatisq; custodiam in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monasterij sui, & si potest fieri, per Decanos ordinetur (vt anteà disposuimus) omnis vtilitas Monasterij, prout Abbas disposuerit, & dum pluribus committitur, vnus non superbiat. Quod si aut locus expetit, aut Congregatio petierit, rationabiliter cum humilitate, & Abbas iudicauerit expedire. Quemcunq; elegerit Abbas cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet sibi Præpositum. Qui tamen Præpositus illa agat cum reuerentia, quæ ab Abbate suo ei iniuncta fuerint,

erint, nihil cõtra Abbatis voluntatẽ, aut ordinationẽ faciens, quia quantúm Prælatus eſt cæteris, tantùm eum oportet ſollicitè obſeruare præcepta regulæ.

Conſtitutio.

1. QVem Pater Sanctus Præpoſitum hoc loco appellat, nos ſuperiorem ſimpliciter dicimus, qui ſolùm in abſentia Prioris vices gerit, ac gubernat locum, ac familiam.

2. Hunc quoties Prior ab Eremo diſcedit, puta cum ad Generale Capitulum, vel ad aliud quodcunq; agendum ſe confert, nominatim fratribus notificare debet: quo omnes ſubditi ſciant, cui obedire, ſeu ad quem in ſuis indigentijs recurrere oporteat.

3. Hanc eandem ſuperioris denominationem poteſt, imò debet facere Prior antè obitum ſuum, ſi mori contigerit: attamen ſi vel ab ipſo loco diſcedens, vel moriens Prior, id facere neglexerit, tunc antiquior profeſſione Sacerdos, ſeù potius primus dignitate (ſi adſit) ipſo Iure ſuperior intelligatur.

4. Libera tamen erit Priori nominãdi facultas, nullâ antiquitatis, vel dignitatis habitâ ratione, ſed ſolum habilitatis, atq; ſufficientiæ, ſiuè meriti qualitate conſideratâ.

5. Superior itaq; eandem auctoritatem in Spiritualibus, ac temporalibus habebit, quam ipſe Prior habebat, eique omnes de familia, tanquam verò Priori, obediant, ſequè ſubditos ſubiecto ſue demonſtrent.

6. Dicta ſuperioris auctoritas tamdiù durabit, quãdiù

diù verus Prior domum reuertatur, vel alius in eius locum ſubrogetur. Hoc enim Eremum ingrediente, omnis dicti ſuperioris poteſtas, ac auctoritas ceſſare intelligitur.

7. Qui quidem ſuperiores non ſolum extinctâ, ſeù amiſſa auctoritate, ſed etiam eâdurante, prorſus ſuo Priori ſubditi remaneant, poteſtq; Prior, vel verbo, vel per litteras eundem reuocare, amouere, atq; mutare, prout ſibi viſum fuerit, atq; libuerit, nec vltrà illi aliqua ſuperioritas, aut præcedēria erit, & in caſu contrauentionis, vel inobedientiæ ab eodem corrigatur, & caſtigetur.

8. Neminem in ſui locum poteſt Superior ſubſtituere, ſed eo Domo exeunte, antiquior profeſſione vicem gerat, niſi Prior aliter ordinauerit.

9. Non poteſt ſuperior durante Capitulo graui, & vrgente neceſſitate ceſſante, foras fratres mittere, & ſublata eſt illi omnis facultas quidquā innouandi, ita vt nullo modo fabricare, nec vendere, ſeù emere, aut permutare, alterare aut deſtruere, aut ſimilia facere poſſit, niſi eadem negotia Prior diſcedens, vel moriens fieri iuſſerit, quamobrem ſicut ipſe ſuperior ſemper, & vbiq; ſuo Priori obedire tenetur;ità & Prior, quoties eundem nominat, debet in ſcriptis, aut ſaltem verbo coram teſtibus omnia, quæ fieri deſiderat, aut ſunt neceſſaria, ordinata eidem relinquere.

10. Quia ſuperior Abbatiæ S. Saluatoris Montis acuti, per Capitulum Generale ad biennium, ſicut & reliqui Prælati eligitur, non obſtante huiuſmodi electione

ne tàm ipse superior, quàm sua familia semper, & in omnibus sinè exceptione Priori Montis Coronæ subsit, eiq; perpetuo obedire teneatur. Quin & Prior Montis Coronæ tanquam proprius Prælatus prædictæ Abbatiæ debet, non solum, quando opus est, sed etiam sæpè ex officio suo debito eandem Domum, cum superiore, & familia illic commorante visitare, corrigere, atq; instruere. Nec non quæcunq; ibidem necessaria, agendauè sunt, disponere, & ordinare, cuius dispositioni, & ordinationi omnes quodquod ibi sunt, tanquam verè subditi obediant. Non tamen poterit dictus Prior, dictum Superiorem vti à Capitulo Generali electum mutare, sed vrgente necessitate id faciendi ad Patres maiores, ac visitatores recurratur, qui iusta stante causa mutare possunt. Sed correctio, ac pœna dicti superioris proprio Priori relinquitur (vti Sancta regula iubet) & si in hoc Prior negligens fuerit, Pater maior, & visitatores, tàm in actu visitationis, quàm extrà seuerè puniant, quod si accidat in discessu Prioris Montis Coronæ, aut in morte, superiorem in Eremo relinquat, hic præcedet, & superiori Abbatiæ imperabit.

De Ostiarijs Monasterij.

CAP. LXVI.

AD portam Monasterij ponatur frater sapiens, qui sciat accipere responsum, & reddere, cuius maturitas eum non sinat vagari. Qui portarius cellam debet habere iuxtà portam, vt venientes semper præsentes inueniant, à quo respon-

responsum accipiant, & mox, vt aliquis pulsauerit, aut pauper clamauerit, Deo gratias, respondeat aut benedicat, & cum omni mansuetudine timoris Dei, reddant responsum festinanter cum feruore charitatis. Qui Portarius si indiget solatio, iuniorem fratrem accipiat.

Constitutio.

1. HIs, quæ de ostiario hic admonet. Pater Sanctus vix aliquid addi potest, sufficiet ergò si is, cui tale munus datur hanc pijssimam doctrinam opere compleat.

2. Sit nihilominus ostiarius sollicitus, nè quis molestiam inferat Eremitis absq; causa, expediendo eos, qui nihil negotij habent, quod tamen sinè scandalo fiat, & denique qui cum superiore, vel Cellerario negotium non habent, si ex vicino loco fuerint, re sacra audita discedant, nè per Eremum ambulantes loci quietem perturbent. In his verò, qui è longinquo veniunt, regula obseruetur, & statim ipsis ingredientibus, & Priori, & Hospitario nuncietur.

3. Maneat semper ostium clausum, nec contrarium fiat sine necessitate; quoties autem aduerterit ostiarius, non per ostium, sed transilitâ sepe, vel aliundè aliquem esse ingressum, modestè eum reprehendat, atq; foras eijciat, quo alijs sit exemplo.

4. Armatus in Eremo nemo introeat, sed admonitus in Domo Dei armatum incedere non licere, statim in ipso ingressu arma deponat, quæ diligenter Ianitor custodiat.

5. Præ-

5. Præmoneantur quoquè alienigenæ, loci consuetudinem nescientes, vt cum silentio procedant, & ab omni clamore, siuè strepitu abstineant.

6. Nunquam permittat ostiarius Iumenta aliena per Eremum errare, imò nec introire præter domestica, eorumq; hospitum, qui aliquantulum moræ in loco contrahere desiderant, quæ tamen iumenta non sunt permittenda vagari.

Sequitur Regula.

MOnasterium autem (si possit fieri) ità debet construi, vt omnia necessaria, idest aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diuersæ intrà Monasterium exerceantur, vt non sit necessitas Monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem regulam sæpius volumus in Congregatione legi, ne quis fratrum se de ignorantia excuset.

Constitutio.

1. ATtentâ vtilitate, quæ ex molendino nostris locis solet prouenire, laudabile valde est, prout Regula iubet, vt secundum hodiernum morem in vnaquaq; nostra Eremo quamprimùm poterit, construatur.

2. Licèt Hortuli singulis priuatis Cellis adhæreant, nihilominus & hortum communem sufficientis latitudinis in Eremo esse oportet, propter olerum frequentem vsum, ac necessitatem, cuius cura committenda est, qui agriculturam nouerit, qui suis sciat temporibus colere, quiq; diligens sit in colligendis seminibus, ac fructibus in communi penu conseruandis; & quidquid

quid ad tale exercitium necessarium, ac opportunum fuerit, diligenter adimpleat.

3. Furnus, sinè quo nostra Eremus stare non potest idoneū habeat pistorem, qui furnariam artem exercere valeat, quiq; sollicitus existat in pane conficiendo, conseruando, per Cellulas Eremitatum distribuendo, & quæ ad panificium spectant, vt sunt varia Instrumenta, atq; linteamina, benè instructa, mundaq; teneat.

4. Adsit & in singulis Eremis nostris Tōstrina, Tonsoris in loco remotiori, sitq; tale ædificium, quale ars illa requirit, nempè dealbatum, ac perpolitum, atq; instrumentis ad illam artem exercendam necessarijs benè munitum, cuius cura fratri talem artem callentem committatur, qui officium suum omni diligentia, charitate, & munditia adimplere curabit.

5. Tertia quoq; hebdomada Sacerdotes, ac Clericos forficibus tondeat, aut nouacula eradat (relicto more monastico) capillorum circulo in modum Coronæ. Reliquos autē fratres, tàm conuersos, quàm oblatos, seruato eodem termino, toto capite radat, siuè tondat; & qui hanc temporis taxationē præterit sinè licentia superioris, priuetur vino. Omnes Eremitæ barbam deferant, sicut Apostolica concessione permissum est, omnes autem propter frequentem Sacræ Communionis vsum pilos circà oris labia superfluos, sæpius forcipe abscindere curent.

6. Dies verò tonsuræ exercitiò deputati, in quadragesimis erunt omnes non festi, & in quibus non fit abstinentia in pane, & aqua, silentio tamen seruato;

 reli-

reliquis anni temporibus tondeatur quandocunq; soluitur silentium, dummodo non impediatur diuinum officium.

7. Extra hos dies, non licebit, nisi aliquo necessitatis casu operari, & tunc de superioris licentia, sinè qua neminem radere, aut tondere poterit, qui ex nostra Congregatione non fuerit.

8. Jdem Barbitonsor debet lixiuiũ facere, ignemq; in lauatorio caldariò supponere ad Eremitarum commoditatem, qui voluerint indumenta lauare, qui si nequiuerit hæc omnia per se implere, detur socius: cura tamen ista agendi ad se præcipuè spectet, & lauatorium semper mundatum teneat.

De fratribus in via directis.

CAP. LXVII.

DIrigendi fratres in via omnium fratrum, vel Abbatis orationi se commendent, semper ad orationem vltimam operis Dei, commemoratio omnium absentium fiat. Reuertentes autem de via fratres ipso die, quo redeunt per omnes horas Canonicas, dum expletur opus Dei, prostrati solo oratorij ab omnibus petant orationem propter excessus, ne quid fortè subrepserit in via visus, & auditus malæ rei, aut otiosi sermonis Nec præsumat quisquam alijs referre quæcunq; extrà Monasterium viderit, aut audierit, quia plurima destructio est. Quod si præsumpserit, vindictæ Regulari subiaceat: similiter, & qui præsumpserit Claustra Monasterij egredi, vel quocunq; ire, vel quippiam (quamuis parum) sinè Abbatis iussione facere.

Con-

Constitutio.

1. QVanta cautela Religiosis è Monasterio egredientibus vtendum sit, quantoq; in periculo versentur, ex hoc Regulæ capitulo facilè colligitur. Quapropter sollicitè est obseruandum nè nostri Eremitæ nunquam soli incedant nec longè, nec propè, quod tàm de superioribus quibuscunq; quàm de subditis intelligatur, qui autem secus fecerit, in medio Refectorij in pane, & aqua ieiunet.

2. Socius itineris sit, & ipse Eremita, vel oblatus: verùm si non longè, & inter cognitos vicinos ire debet, nec possit Eremita haberi, tunc vel famulus, vel aliquis domesticus, de licētia tamen superioris suppleat.

3. Exquacunq; ergò causa foras egreditur Eremita, antè omnia benedictionem à suo Priore humiliter petat, quod regrediēs antequam Cellam intret. Et si longius est profecturus, petat etiam litteras testimoniales.

4. Egredientes, & toto tempore itineris, officium pro itinerantibus (singulis diebus de mane recitabunt, in fine Breuiarij positum, cuius loco, conuersi, ac ignarì dicant *Pater noster, & Aue Maria*.

5. Non se itineribus festiuis diebus, ac Dominicis exponant Eremitæ, nisi vrgenti obedientiâ, aut necessitate, & festinent insuper, quod habent in mandatis citius, quam possunt exequi, se se expedientes ad desideratam protinus quietem reuersuri, & si non longè proficiscūtur, si fieri potest de serò Eremum repetant.

6. Itinerantes, sæcularium domos, maximeq; di-

uitũ, publicaq; hoſpitia, & Caupones fugiant; ſed potius ad Monaſteria Regularium accedant. &c. &c. &c.

7. Ipſe autem Prior, cunctaq; eius familia domi manens pro abſentibus itinerantibus (tanquam in continuo corporis, & animæ periculo conſtitutis) aſſiduè orare meminerint.

8. Jtinerantes, quæ fiunt Domi extra non referant, nec Domum reverſi alijs, quæ in itinere viderunt, aut intellexerũt, niſi conferant ad ædificationem.

9. Et quamuis ad Ieiunia regularia, neq; ad abſtinentiã, nequè ad priuatam pſalmodiam minimè obligentur itinerantes, attamen in eo, quod poſſunt, non deficere curẽt, quia Regulares Solitarij, taquã ſpeculũ populo poſiti ſunt, ideò tàm verbo, quàm opere cunctis videntibus virtutis exempla exhibeant.

10. Superiores cum omni charitate itinerantibus, maximè ſi debiles, ac ſenes ſint, vltrà viaticum, iumenta, aliaq; oportuna dare non recuſent. è contrà hoſpites charitatiuè recepti, non multa magna, ac delicata requirant, ſed paucis contenti, quod ſibi ſeruitutis, vel alimenti offertur, tanquam à Deo miſſum, cum humilitate, & gratiarũ actione ſuſcipiant, ſe ipſos per omnia paupertati ſimplicitatiq; Eremiticæ conformantes.

Si fratri impoſsibilia iniunguntur.

CAP. LXVIII.

SI cui fratri aliqua fortè grauia, aut impoſſibilia iniungũtur, ſuſcipiat quidẽ iubentis Imperiũ, cũ õni mãſuetudine, & obedientia. Quod ſi omnino virium ſuarum menſu-

menſuram viderit pondus excedere, impoſſibilitatis ſuæ cauſas ei, qui ſibi præeſt patienter, & oportunè ſuggerat, non ſuperbiendo, aut reſiſtendo, vel contradicendo. Quod ſi poſt ſuggeſtionem ſuam, in ſua ſententia Prioris imperium perdurauerit, ſciat Iunior ità ſibi expedire, & ex charitate confidens de adiutorio Dei obediat.

Conſtitutio.

1. NEminem latere putamus contrà ſuperiorum mandata nullam admitti ſolere excuſationem multoq; minus (perſeuerante in ſententia Prælato) quidpiam replicare licere. Omnes ergò Eremitas adhortamur, vt ſimpliciter, patienterq; opus ſibi iniunctum ſuſcipiant & vnuſquisq; illud pro viribus) Dei adiutorium inuocãdo) adimplere conetur; nunquam verò obedienti deerit Deus.

2. Sancta regula minimè prohibet ſubdito ſuam rationabilẽ excuſationem proponere, humiliter tamen, ac modeſtè, quando ſupra vires ſe grauatum putat, ſed firmo permanente ſuperiore, replicationem denegat.

3. Vt ergò totum cum fructu, meritoq; obedientiæ eueniat, adhortantur noſtri Eremitæ, vt ſimpliciter, ac patienter onus ſibi impoſitum acceptare, iuxtaq; ſuas vires curabit implere Dei adiutorio aduocato, qui nũquam vero obedienti deeſt.

4. Caueant autem Prælati ne ſubditorum humeris grauia onera imponant, quæ nec digito ſuo mouere volunt; Ideoq; qui indiſcretè ſuos grauabunt ſubditos, quos fratres, imò filios reputare debent, ſicq; omni charitate, ac benignitate illos tractare à viſitatoribus

in actu

in actu visitationis, aut à Capitulo Generali, aut Dieta seuerè puniantur.

Quod in Monasterio non præsumat alter alterum defendere.

CAP. LXIX.

SVmmoperè præcauendum est, nè quauis occasione præsumat alius altum defendere Monachum in Monasterio, aut quasi tueri, etiamsi qualibet consanguinitatis propinquitate iungantur, nec quolibet modo id à Monachis præsumatur, quia exindè grauissima occasio scandalorum oriri potest, Quod si quis hæc transgressus fuerit, arctius coerceatur.

Constitutio.

1. DEfensio quam hic Sanctus Pater iustè reprobat, quâ aliquis humilibus, ratioalıbusuè rationibus, ac supplicationibus pænam euitare curat, fratremuè ab ea liberare: quia cum hæc rationabilis existat, nullo modo potest scandalum gignere: sed illa est, qua quis impugnatiuè, & contentiosè sese, aliumuè à pænis, alijsue sibi contrarijs contra mentem Superioris, ac Ius eximere tentat, aut contra Prælatum murmurationibus, ac detractionibus insurgendo, iniustum, durum, crudelemuè nominabit, Reum verò è contra Innocentem declarando.

2. Ex his enim multa possent in Religione scandala, ac perturbationes oriri, solent namq; proterui, cum aliquos sibi fautores, defensoresque agnoscunt, nequiores fieri: Prælati namq; animum despondent, fiuntq; pusillanimes, & sic tandē à Iustitia ministranda

cum

cùm ignauia desistunt. Studeat itaq; vnusquisque fratrem suum, quem amat, cum in correctione constitutum videt ad humilitatem, & subiectionem, obedientiam, emendationemq; hortari, & si vexari, & DEO permittente tribulari cognoscet, debet ad patientiam inducere, & conformari diuinæ voluntati.

3. Ad hoc, vt tale vitium in nobis non reperiatur secundum culpæ qualitatem huiusmodi falsi defensores, aut potius murmuratores seuerè puniantur, qui cùm contra Prælatum, fratremque eodem tempore lingua detrectant.

4. Qui ad Capitulum Generale, aut Diëtam, aut infra annum ad Patres Superiores falsas infamias contra aliquem mittunt, si choristi sunt per biennium careant voce actiua, & passiua, Conuersi per bimestre carcere mancipentur,& si tempore Capituli, vel Dietæ veritas non possit dignosci, Patri Visitatori, vel cui Capitulum Generale iudicabit, causa committatur, vt non præsumat quisquam passim cedere, aut excommunicare.

CAP. LXX.

VEtetur in Monasterio omnis præsumptionis occasio, ordinamus, atq; constituimus, vt nulli liceat quẽquam fratrum suorum excommunicare, aut cedere, nisi cui potestas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguantur. Infantibus verò vsq; ad decimum quintũ ætatis ãnũ, disciplinæ diligentia sit, & custodia adhibeatur ab omnibus, sed & hoc cum omni mensura, & ratione; nam in fortiori ætate, qui præsumpserit aliquatenus sinè præcepto

Abba-

Abbatis, vel in ipsos Infantes sinè discretione exarserit, disciplinæ regulari subiaceat, quia scriptum est. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Constitutio.

1. EXcommunicare actus est Iurisdictionis, illiq; soli possunt, qui ordinariam vel delegatam habent Iurisdictionem, vti sunt Priores in proprijs locis, Visitatores in actu solum Visitationis, & Maior vbiqve, & in omnes Eremitas.

NB 2. Qui autem suadente Diabolo, fratrem percusserit, vltra excommunicationem, quam incurrit, carcerali pæna, ac Ieiunijs, pane & aqua ad Superioris arbitrium puniantur, qui qualitatem, grauitatemq; percussionis considerabit. Qui verò maledicis, turpibusque aut iniuriosis solummodo verbis in fratrem suum vsus fuerit, dicat suam culpam in Capitulo, ac semel in pane, & aqua ieiunet, quodsi minas addiderit, ita vt se velle percutere ostenderit, grauius puniatur. Tandem omnes pacis quocunq; modo perturbatores, statim grauiter à Superioribus corrigantur.

Vt obedientes sint sibi Fratres inuicem.

CAP. LXXI.

OBedientiæ bonum non solum Abbati exhibendum est, sed etiam sibi inuicem obediant fratres, scientes per hanc obedientiæ viam se ituros ad Deum. Præmisso ergò Abbatis, aut Præpositurum, qui ab eo constituuntur, imperio

perio, cui non permittimus priuata imperia præponi, de cætero omnes Iuniores Prioribus suis omni charitate, & sollicitudine obediant. Quod si quis contentiosus reperitur, corripiatur. Si quis autem frater pro quauis minima causa ab Abbate vel à quocunq; Priore suo corripitur quolibet modo, vel si leuiter senserit animum Prioris cuiuscunq; contra se iratum, vel commotum, (quamuis modicè) mox sinè mora tam diu prostratus in terrā antè pedes eius iaceat, satisfaciens vsq; dum benedictione sanetur, illa commotio; Quod si quis contempserit facere, aut corporali vindictæ subiaceat, aut si contumax fuerit de Monasterio expellatur.

Constitutio.

1. QVi Prælatum, & Superiorem suum honorat, Deum honorat, & qui eum contemnit, Deum spernit, qui dixit Prælatis qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Ideò Eremitis erga suos Prælatos, obedientes, ac humiles esse oportet.

2. Si quis verò (quod absit) cum Prælato suo contenderit. vel parum reuerenter secum se habuerit, semel in pane, & aqua ieiunet, & culpam suam coram omnibus dicat. Qui contrà Prælatum suum quomodocunq; conspirauerit, vltrà prædictam culpam, disciplina circulari plectatur.

De zelo bono quem debent Monachi habere.

CAP. LXXII.

SIcut est zelus amaritudinis malus, qui separat à Deo, & ducit ad Infernum, ita est zelus bonus, qui separat, à

vitijs, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc ergò zelum feruentissimo amore exerceant Monachi, idest honore se inuicem præueniant, infirmitates suas siuè corporum, siuè animarum, patientissimè tolerent, obedientiam sibi certatim impendant. Nullus, quod sibi vtile iudicat sequatur, sed quod magis alij charitate fraternitatis casto impendăt amore, Deum timeant, Abbatem suum sincera & humili charitate diligant. Christo nihil præponant, qui nos pariter perducat ad vitam æternam Amen.

Constitutio.

1. AD bonum, ad sanctum zelum, ad quem Sanctus Pater hortatur, non solum in interiori homine, rectè cum Deo ambulare spectat, sed etiam in exteriori, nihil vitiosum, quod proximum offendere valeat ostendere, imò semper piè viuendi exempla præbere.

2. Sint ergò nostri Eremitæ in incessu graues oculis depressis, uerecundi ac humiles; submissa loquantur voce, omnibus subiaceant, suis præcipuè Superioribus, in quorum præsentia, non nisi interrogatos obmutescere consultius foret.

3. In omnibus suis actibus modesti, beneq; compositi, paupertatis amatores, vestes potius resarcitas, quàm immundas gestent, & sicut ipsi semper mundi, ac nitidi esse debent, ita cellam perpolitam, seclusa omni prorsus affectatione, curiositateuè omni tempore habere debent.

De eo

De eo quod non omnis obseruatio Iustitiæ in hac Regula sit constituta.

CAP. LXXIII.

REgulam hanc descripsimus, vt eam obseruantes in Monasterijs aliquatenus, vel honestatem morum, aut initium conuersationis, nos demonstremus habere; cæterum ad perfectionem conuersationis, qui festinant, sunt doctrinæ Sanctorum Patrum, quarum obseruatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo diuinæ auctoritatis veteris, ac noui Testamenti, non est rectissima norma vitæ humanæ. aut quis liber Sanctorum Catholicorum Patrum hoc non resonat, vt recto cursu perueniamus ad Creatorem nostrum? Nec non & Collationes Patrum, & instituta vitæ eorum, sed & regula Sancti Patris nostri Basilij, quid aliud sunt, nisi benè viuentium, & obedientium Monachorum exempla, & instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis, & malè viuentibus, atq; negligentibus rubor confusionis est. Quisquis ergò ad Patriam Cælestem festinas, hanc minimam inchoationis regulam descriptam; (admonente Christo) perfice, & tunc demum ad maiora, quæ supra commemorauimus, doctrinæ, virtutumq; culmina (Deo protegente) peruenies. Facientibus hæc, Regna patebunt superna.

Constitutio.

...dmodum Sanctissimus Pater in Regula ...nimodam perfectionis doctrinam, sed ...liquod Religiosæ disciplinæ conti-

neri fatetur; ita omnes sciant, quod licet non pauca constitutio Regulæ adiungat, tàm in strictiori modo viuendi, quàm in sæculi fuga, omniq; peccandi occasione, non tamen in ea exactè, vitæ Eremiticæ rigor describitur.


2. Ideò omnes Eremitæ perfectionem anhelantes non Regulæ Sanctissimæ documentis, ac istarum constitutionum; contenti ordinibus, ad altiora perfectionis fastigia ascendere contendant, quod facilius assequētur, si Sanctorum Patrum, ac præcipuè Sancti Patris nostri Romualdi, suorumque feruentium discipulorum mores, ac virtutes, vitæq; austeritatem, pro virili imitari sollicitè studuerint: primum autem in istarum constitutionum omnimoda obseruantia à qua nemo excluditur, assuescánt.

3. Caueant Superiores nè sint faciles, ac proni in suis subditis sub formali obedientiæ præcepto, (quo ad peccatum mortale obligat,) præcipiendo: quamuis ipso vti tàm verbo, quàm scripto possent, quando ipsi opportunum, necessariumue iudicabunt. In transgressionibus autem Regulæ, Constitutionum, Actorum Capitularium, Ordinum licet scriptorum, Visitatorum nulla incurritur culpa, sed in illis solum quæ contra tria vota, aut contra stabilitatem fiunt. Peccabunt autem huiusmodi Transgressores ex negligentia, vel inordinato affectu [...] liter, ex contemptu verò, mortaliter.

4. Tenentur tamen culpam in ca[...] pænitentias à Regula, ac constitutio[...]

à Capitulis taxandas, quando illæ à ſuperioribus iniunguntur exequi, quas omnes ijdem ſuperiores pænitentias, prout alibi dictum eſt, mutare, minuere, vel in totum relaxare poterunt.

5. Caueant ne nimia eorum benignitas, ac clementia, aut in delinquentes corrigendo moroſitas, vel incuria, regularem deſtruant obſeruantiam Et quia DEO diſtrictam reddent rationem ne quis ignorantiam allegare valeat, Regulam, ac Conſtitutionem, quæ hoc volumine continentur, ſingulis diebus per iuſtas portiunculas antè Completorij Lectionem legenda ſtatuitur.





SECVNDA PARS

Constitutionum Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ.

De loco, & tempore celebrandi Capitulum Generale Cap. I.

1. 

Ongregatio, ſuis mediantibus Capitulis, Sedis Apoſtolicæ, Priuilegio Zizaniæ, (quę fortè in aures Religionis pullularunt) euellere ſolet ac addita Religioſæ pietatis munditia, bonum ſemen ad meſſem creſcere:
[illegible]-ra-
[illegible]

Visitatores Generales, Procurator Generalis, alijque duo particulares Visitatores, pro visitanda sacra Eremo Montis Coronæ electi, qui hac lege, ac circumspectione eligendi sunt, vt in Dieta non plus quam duo pro vnaquaque natione reperiantur. Dietæ autem eademmet erit auctoritas, ac potestas, quæ Capituli Generalis, ijs exceptis, quæ in his Constitutionibus eidem Capitulo reseruantur. Et licet in ipsa non fiat generalis Prælatorum electio, tamen per mortem, vel per renunciationem vacantibus aut quauis alia causa poterit prouidere, à Visitatoribus, aut aliundè cerciorata: Prælatos mutare, ac suspendere, non autem nisi prius formato processu, deponere poterit, ac subrogare valebit. Necessarias, sibiq; visas Fratrum mutationes faciet, Clericos promouebit, omnibus Religionis negotijs prouidebit, generalibus ordinationibus, ac in re graui harum Constitutionum declarationibus semper exceptis.

3. Initium, progressus, finisque Dietæ ijdemmet erunt, qui Capitulo Generali præscribuntur, ijs pariter, quæ ipsi Dietæ impropria sunt, Capituloq; generali propria, exceptis omissis & officij, ac Missæ solemnitate.

Qui ad Capitulum venire; & quid secum deferre debeant.

Caput II.

1. AD Capituli celebrationem omnes Congregationis Prælati venire, & assistere debent, scilicet,

cet, P. Maior, Visitatores, Procurator Generalis, Prioresq; cuncti conventuales, quorum nemo, si suo loco, & tempore, non accedat, excusabitur, nisi ab infirmitate, grauiq; necessitate se impeditum probet, alias per annum priuationi vocis actiuæ, & passiuæ subiaceat.

2. Ab huiusmodi obligatione Poloni Priores excipiũtur, qui licet semper interuenire Capitulo possint, non nisi quarto quoq; anno tenẽtur, vt supra, qui accedẽtes ad euitandas expensas sese associabunt, & incasu necessitatis, vnum tantummodo ducant sociũ, cuius quidem nomẽ prius Patribus superioribus significabunt, ac ab eisdem responsum expectabunt.

3. Præter dictos, nemo ad locum Capituli, vel Dietæ temerè accedat, nisi ab eodem Capitulo, Dieta, vel Patre maiore, ac Visitatoribus vocatus fuerit, vel licentiam obtinuerit. Qui contra fecerit per mensem carceri mancipetur; grauissima tamen necessitatè vrgente, excepta, quæ an talis fuerit, nec nè ipsi Capituli, vel Dietæ Diffinitores iudicabunt.

4. Prædicti omnes Patres, qui ad Capitulum accedere debent, iustam imò superabundantem viatici pecuniarum prouisionem, tam àccedendi, quam recedendi secum deferant, ne ea deficiente, alios grauare cogantur.

5. Priores nullo modo, dati, vel expensi benè calculatum exemplar cum indice debitorum, deferre omittant, quod exemplar cum libro originali, duo Patres à Priore deputati concordabunt, & subscribent, singulis

ſingulis partitis diſtinctè diſpoſitis, ac in fine cuiuſcunque paginæ illius ſumma notetur.

6. In iiſdem tranſumptis, prouiſiones domeſticæ deſcribantur, quas cum dicti Deputati Patres viderint, fideliter manu propria ſubſcribant. Quæ tranſſūpta, ſi Priores legitimè impediti ad Capitulum deferre non valuerint, ea cum literis ſuæ Domus, ſtatum, neceſſitatemq; continentibus per fidelem latorē tranſmittant

7. Qui verò dicta exemplaria non tulerit, aut miſerit, per annum Prælatura priuetur. Qui verò pecuniam Eremo ſuo à Capitulo generali taxatam, vel cui ab eodem commiſſum fuerit, non ſatisfecerit, in electione Deffinitorum, nec actiuè, nec paſſiuè admittatur, & maxime ſi Patri Procuratori Generali, tam pro ſua aſſignatione, quam pro alijs rebus Romæ ſoluendis non ſatisfecerit, ſuſpenſionis pænam ipſo facto incurrat, niſi infra annum non ſatisfecerit, & Priores Teutonici, ac Poloni, ſi per annum cum dimidiò in iiſdem defecerint, eandem pænam incurrent. quæ ſuſpenſio eò vſque protrahatur, quouſq; plenariè ſatisfecerint; quod ſi vſque ad Capitulum generale contumaces fuerint, vocè actiua, ac paſſiua priuentur, nec ipſi inter vocales numerentur; idem in illis obſeruandum qui quindennia ad Capitulum pro Eremo Montis Coronæ, deferre tenentur.

8. Vniuerſi tandem, ac ſinguli, qui ad Capituli celebrationem venire coguntur, feriâ ſexta, dictam Dominicam tertiam præcedente in loco futuræ celebrationis adeſſe tenentur ſin autem omnes dicta die non

adfuerint, dummodo duæ ex tribus partibus, congregandorum Patrum præsentes sint, celebretur Capitulum, nec propter eorum absentiã, inualida, sed legitima, & canonica censeatur.

Modus inchoandi Capitulum.

CAP. III.

1. Vsitata à maioribus nostris introducendi Capitulum forma sic se habet, vt scilicet sabbatho præcedẽte Dominicæ, vnus ex congregatis Prælatis, cui iniunxerit Maior, celebret manè missam pro congregatione, cum oratione de Spiritu Sancto, pro bono initiò, & successu futuri Capituli orans.

2. Finitâ nona, & oratione ordinaria peracta, paruula campanula Capituli inchoandi signum spatio vnius miserere, cum decem ictibus in fine pulsetur (qui modus significandi Capitulum, quoties signum fieri oportuerit, obseruandus est) quo signo dato, omnes qui tunc in ipsa Eremo præsentes inueniuntur fratres (inclusis exceptis) ad Capitulum Culparum, vel aliũ locum per Maiorem ad hoc deputatum, simul conueniant, vbi omnibus genibus flexis manentibus, Pater Maior psalmũ 66. Deus misereatur nostri &c. intonabit, cæteris vsque in finem psalmi prosequentibus alternatim. Deindè Kyrie eleison Pater noster. & ne nos vers. saluos fac seruos tuos. & Mitte nobis Domine &c. & nihil proficiat inimicus in nobis; & Emitte Spiritum tuum & creabuntur. & Post partum virgo inuiolata &c. & Domine exaudi orationem meam, & Dominus vobiscum cum suis responsis. Oratio eiusdem Domini-

Dominicæ, Oratiò, Deus qui corda fidelium, & oratio Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus &c. pro congregatione, quâ finita per Maiorem dicitur Antiphona, Sancta Maria cum Beatissimis Patribus nostris Benedicto, & Romualdo, & omnibus Sanctis, intercedat ad Dominum Deum nostrum. Amen.

3. Quibus expletis omnibus sedentibus, & in silentio attentè audientibus P. Maior suasoriam habebit oratiunculam, quæ tota ad bonum successum, ac felicem exitum Generalis Comitis tendere debet, exhortando omnes ad confessionem ad eundem finem crastina die faciendam in missa Conuentuali. Ordinabit insuper, quatenus Sacerdotes sequenti mane, omnes cum deuotione, & feruore rem sacram facere debeant, cum oratione Spiritus Sancti, quæ omnia cum deuota, ac iugi cunctorum oratione ad prædictum finem, prosperitatis scilicet, atq; fælicis successus Generalis Capituli fieri debent. Dominica verò die P. Maior, solemniter maiorem Missam dictâ Tertia, celebrabit, in qua omnes fratres, ac etiam vocales illos, qui fortè celebrare nequiuerint, communicabit.

De electionibus in Communi in Capitulo Generali faciendis.

CAP. IV.

1. Omnes superiorum electiones iuxtà Concilij Tridentini formam faciendæ sunt, per secreta suffragia, ac Decreti Clementis VIII. Cuncti Ele-

ctores, antequam ad electionem deueniant, se meliores electuros iuxta suarum conscientiarum dictamen curabunt, legendæq; etiam sunt Constitutiones de qualitatibus, ac requisitis eligendorum.

2. Vsus Congregationis antiquus in electionibus cum calculis nigris, & albis seruetur, nigra enim affirmant, negant alba, nec quisquam electus intelligatur, nisi maiorem partem supra medietatē obtineat, quod si duo, vel plures in calculis concurrant, vltra medietatem pro eadem Prælatura, officioue, vterq; concurrēs iterum suffragijs exponatur calculorum, quiq; maiorem fauorabilium votorum partem habuerit, electus intelligatur; at si iterum pariformes in fauorabilibus supra medietatem fuerint, præferatur, ac electus Prior in professione intelligatur.

3. Quando aliquis pro aliqua Prælatura, aut officio proponitur, si in Diffinitorio fuerit, exeat, ac longè expectet, ita vt tractatus Patrū Diffinitorū audire minimè valeat, nec reuertatur, donec euocetur. Idem pariter obseruandum, cum de aliquo negotio agendum erit, in quo ex Deffinitoribus aliquis, vel ipsemet Præsidens, ius ac interesse haberet, foras enim exire debent.

4. Qui per se, vel alios directè, vel indirectè, vocem, aut suffragia ad aliquod officium consequendum procurabit, vltrà alias pænas, censurasq; contra illos, qui simili modo officia ambiunt, ex Decreto Clementis VIII., priuationis officiorum ipso facto, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia, pænam incurrant, dispensa-

penſatione ſoli ſummo Pontifici reſeruatâ, quæ pœnæ ad complices, & ad ſcientes, & non reuelantes extenduntur.

5. Notandum tamen, non idcircò prohiberi Eremitis inſimul agere, tractareuè de qualitate, & habilitate, meritis, vel demeritis, reſpectibus, ac conuenientijs eligendorum, quæ iuſtè alio, alium digniorem, melioremuè præmonſtrare ſolent; adhortando, perſuadēdoq; modeſtè, charitatiuè, ac Religioſe, ad digniorem electionem, dummodo fiat ſinè precibus, donis, promiſſiſuè; hæc quippe ſunt ſubordinationis, ac practicæ, de quibus ſummorum Pontificum Decreta, Conſtitutioneſq; intelliguntur.

6. Si quis demum à Prælatis, aut Principibus ſæcularibus, aut alia quacunque perſona extrà Congregationem commendatitias, fauorabileſq; Epiſtolas ad aliquod officiũ obtinendũ, ad Capitulũ directas procurauerit, voce actiua, ac paſſiua per bienniũ priuetur.

7. Qui autem in aliqua electione, malignum habuerit tractatum, infrà quindecim dies, vltrà conſuetam abſtinentiam, ter in aqua, & pane ieiunet, ac ter ſe intorto flagello priuatim, in cella ſcilicet, diuerberet, ac genibus flexis ter Pſalmos Pœnitentiales cum Litanijs recitabit.

De Prælaturarum renunciatione, Patrumq; vocalium abſolutione.

Caput V.

1. IPſa die Dominica poſt Nonam, finita ordinaria oratione, detur Capituli ſignum, & omnes Præ-

lati ad sonum campanulæ in Definitorium conueniant, vbi congregati, primum fiat similis diei vocalis oratio, cum suis versibus & orationibus.

2. Deinde Pater Maior Prælatos moneat, vt solitò more vnusquisq; prælaturam deponat, qui omnes illicò (præter Patres Visitatores) culpam suorum defectuum in administratione admissorum, genuflexi humiliter dicant, & Prælaturæ in manum maioris renũciantes, in terram se prosternant. Tunc verò ipse Maior acceptatis singulorum renunciationibus nomine, ac vice Capituli, imposita pro negligentijs cuiq; aliqua pænitentia, pronunciet omnes tàm præsentes quàm absentes, qui fortè venire non potuerunt, absolutos à Prælaturis, officijsq; suis, sicut alios ab alijs officijs, & obedientijs. Quamuis absentes in eorum gubernijs, tanquam à Capitulo generali deputati, vsq; ad aduentum successorum, aut per literas remotionem, interim eorum locis fungentes.

3. Et vt electiones Capituli stabiliores, firmiores, ac validiores sint, imo etiam ad quietem, ac tranquillitatem Patrum vocalium, Pater Maior eos absoluat, & dispenset, vt sequitur: Omnes Patres vocales genuflectant, & vnus dicat Confiteor DEO alta, alij verò dimissa voce, & Pater Maior Misereatur &c. & Indulgentiam &c. postea absoluat, dicens Ego N. quantum se extendunt priuilegia nostra, absoluo vos ab omni censura excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & quacunq; aliâ sententia, ac pæna, & dispenso vobiscum super omni irregularitate in quantũ possum,

possum, & indigetis ad canonicas,legitimasq; electiones faciendas; exceptis tamen illis censuris, sententijs, pænis, ac irregularitatibus contractis ob defectus cõcernentes electiones in præsenti Capitulo faciendas, ac deductis ad forum fori, ac pronuncio, & declaro vos legitimos vocales.

4. Quo facto ipse Maior genuflexus culpam dicat, & Maioratui renunciet, quam renunciationem P.P. Visitatores nomine, ac vice Capituli accipientes iniuncta prius pænitentia salutari,absolutum ipsum pronuncient. Ipsi autem visitatores suo deinde loco, & tempore sui officij, ratione reddita, renunciabunt.

5. Deinde antequam ad electionem deueniatur, vocalium singuli sigillatim iurabunt, se, quos in conscientia meliores iudicabunt electuros, secundum formã infrascriptam.

Ego N. iuro, me in hoc Capitulo meliores, ac magis idoneos electurum, secundum meæ conscientiæ dictamen, seruatâ tamen dispositione Constitutionum. Et hoc solum iuramentum pro omnibus electionibus in hoc Capitulo futuris satis erit.

De Patrum Diffinitorum, ac Patris Præsidentis electione.

Caput VI.

1. EX omnibus Patribus vocalibus in Capitulo præsentibus, Patres Diffinitores eligantur, dummodo in proximè præterito Capitulo, Diffinitores non extiterint, qui non sunt eligibiles.

2. Sex

2. Sex item eligantur Deffinitores, duo scilicet pro vnaquaque natione, id est Ecclesiastica, Veneta, & Neapolitana, & quando Patres Poloni accedunt, si quatuor fuerint eligibiles, duo autem eligantur, sicut de alijs Nationibus dictum est, ita vt in huiusmodi casu octo existant, at si pauciores quatuor fuerint eligibiles, vnus solummodo eligatur, & sint septèm, quod si vnus tantum capax fuerit, possit illũ Capitulum inter Diffinitòres cooptare, at non cogatur, vt electio sit libera. Nulla natio plusquam duos habere potest Diffinitores, nullaq; Ciuitas, aut Territorium, non nisi vnum Diffinitorem habebit, quilibet autem illius intelligatur Nationis, in qua professionem emisit.

3. Omnes singillatim calculis exponantur, incipiendo à Patribus Visitatoribus, sequanturq; Patres vocales, secundum professionis ordinem vniuscuiusque suffragijs tùm nigris, tùm albis semper adnotatis.

4. Patrum vocalium, omnium completis scrutinijs inspiciatur, quot ex ipsis fauorabilia habuerint. & si isti solum sex, vel octo respectiuè fuerint, vt supra, omnes Diffinitores erunt canonicè electi: At si pauciores sex fuerint, aut septem, aut octo respectiuè, iterum fiat scrutinium pro tot Diffinitoribus, quot prædicto numero deerunt. Et si plures dicto numero electi fuerint, qui suffragia pauciora habuerint, excludantur, ac pro non electis habeantur.

5. Similiter intelligatur, quando plures eiusdem Ciuitatis, aut Territorij electi fuerint, is enim electus intelligatur, qui maiorem fauorabilium calculorum quantitatem obtinuerit.

6. Insu-

6. Insuper quia dictum est in nulla natione plures duobus Diffinitoribus dari posse, si in primo scrutinio tres, pluresuè in vna Natione electi inueniantur, qui supra duos pauciora fauorabilia suffragia, seu vota habuerint, pro non electis habeantur, ac nouo scrutinio, vel calculo illarum Nationum vocales, quæ nullum, vel vnum solum electum habuerint diffinitorem, exponantur.

7. Sex, septem, aut octo Diffinitoribus respectiuo modo, ac formâ supradicta, electis, cæteris indè egressis, ipsi solummodo in Diffinitorio remanebunt, & prius Patres Visitatores, tàm Generales, quàm particulares, visitationes per ipsos conscriptas benè clausas sigillisq; munitas Diffinitorio consignabunt.

8. Vocalibus omnibus è Diffinitorio egressis: Patres Diffinitores per vota secreta de ipsis vnum in Patrem Præsidentem eligent, qui Caput Diffinitorij erit, quiq; cum reliquis Diffinitoribus totius Congregationis supremam authoritatem, potestatemque habebunt.

De Scribæ, Vicarij Capituli, ac officialium electione.

Caput VII.



Rebus prædicto modo dispositis, procedant Patres ad electionem Ministrorū, quo debito ordine omnia durante Capitulo disponātur ac peragantur. Imprimis igitur eligatur Scriba Capituli, qui statim electus iuxta tenorem Priuilegi-

orum nostorum,ad ea quæ ad expeditionem eiusdem Capituli spectant,qui tamen vnus erit, ex Diffinitoribus publici Notarij auctoritatem habebit. Cuius munus erit,totam Capituli seriem,& quæcunq; in diffinitorio tractabũtur, diffinitaq; fuerint,si essẽtialiter notanda sunt,in libro Actorum Capitularium diligenter,ordinatèq;describere,eaq; post conclusionmCapituli,præsentibus Fratribus,& audientibus, publicè legere, ijs exceptis,quæ Patribus visa fuerint, reticenda. Epistolas quoq; Capitulo directas leget, quibus ex sẽtentia Patrum respondebit.Adnotabit insuper scriba, quæ ratione dictarum Epistolarum tractanda erunt, quam notulamPatri Præsidenti porrigat, quæ ipsi suo loco ,ac tempore proponet,& post Diffinitionem,ipse in supra dicto libro registrabit.

2. Secũdo, ex his, qui extra Capitulum domi sunt Patres,eligatur Vicarius Generalis in spiritualibus, et temporalibus,qui in ipso loco vicemPrioris gerat,disponens omnia,quæ ad ipsius domus familiæq; directionem pertinebunt,(ijs exceptis)quæ Patres Diffinitores sibi reseruare voluerint.

3. Sequitur Depositarij electio, cui tradũtur omnes pecuniæ, quas Priores secum detulerant,nec nõn quæ apud Visitatores inueniũtur,quas õnes sub claue custodire,& in fine Capituli de illis rationẽ rẽdere tenebitur.

4. Deinde duo fiãt Cõputistæ,qui libros,ac rationes eorum omnium, qui locorum,seu alias bonorumReligionis administrationẽ gesserunt, diligenter permodũ computi examinent,data & accepta ponderent,defectus

ctusnotent, & tandem ex his in ſcriptis redactum ratiocinium cum plena facti relatione, Patribus Diffinitoribus tradant. Alius item eligatur, qui Computiſtarum computa examinet.

5. Referant quoque ea, quæ ipſis viſum fuerit correctione, præmonitione, vel alio remediò, egere, vt ipſi Patres opportunè prouidere valeant.

6. Fiet poſtea oſtiarius Capituli, qui Conuerſus, prudens, ac Idoneus eſſe omnium iudiciò cenſeatur; oportet namque eum audire, fideliterq; audita, referre, eorum, qui vel ingredi ad Patres deſiderant, vel Patrum reſponſa foras expectant ſibi per eundem reportari; eos, qui vocandi ſunt, ſtatim vocare, Capituli ſignum, horis competentibus dare, & quæcunque alia Patrum commiſſa, omni ſolertia executioni mandare.

7. Ac ſimiliter conſtituendi veniunt tam primæ, quàm ſecundæ Menſarum Lectores, ac miniſtri ipſarum, ſcilicet Refectorarius, ac duo, vel tres Fratres. qui dictis inſeruiant Menſis.

8. Poſt hæc adnotabit idem ſcriba, omnium Electorum nomina, tam Diffinitorum, quam officialium prædictorum, incipiendo à Dignioribus vſq; ad infimum, eorumq; deſcriptionem ſtatim dabit P. Præſidenti, qui eam in Refectorio antê Cænæ benedictionem eiuſdem Dominicæ coram omnibus fratribus clarâ voce leget, atq; exhortatiunculam in fine adijciet, vt fratres omnes durante Capitulo pro felici rerum euentu maiori cura, ac diligentia, quàm anteà Regulari, ac Eremiticæ obſeruantiæ intendant, ac orationibus toto animo iugiter inuigilent.

De ordine Seruando in negotijs per Patres Diffinitores tractandis.

CAP. VIII.

1. Patres ipsi Deffinitores singulis noctibus cū alijs ad Matutinum in Ecclesia, diebus verò festiuis, etiam ad vesperas conueniant, cæteras veró diurnas horas separatim, vel alternatim persoluant, ac legitimo cessante impedimento rem sacram quotidie faciant. Ac dum Prima in Choro feriâ secunda cantatur, P. Præsidens missam cum Oratione Spiritus Sanćti celebret, & sic omnibus diebus, seruato professionis ordine, vnus ex Diffinitoribus cum eadem oratione celebrabit, eadem hora, & qui fortè ex ipsis Diffinitoribus celebrare non poterit, interueniat.

2. Qua missa peractâ, signoq; ab Ostia :ò dato ōnes in diffinitoriū se cōferāt vbi ipsis, cōgregatis, dicto secretò Pater noster. P. Præsidēs dicat Et ne nos inducas &c. ℣ emīte Spirit: tuū ℣ Dn̄e exādi ℣ Dn̄us vobiscū, Oratiò Actiōes nostras, & sic fiat quoties Diffinitoriū ītrāt.

3. Antequam negotia propria Religionis Patres aggrediantur, charitas vrget, vt prius illi, si qui sunt foris, expediantur, qui alicuius negotij resolutionem, vel responsum expectant.

4. Posteà Epistolæ tam è nostris locis, quam aliundè Capitulo directis, perlegantur, & scribat tam illas, quæ prouisionem requirunt, quàm responsionem, adnotabit. Ad tollendam tamen omnem suspicionis causam, Eremitæ ad Capitulum generale scribentes, debe nt

bent retrô Epiſtolas, nomen Eremi, in quo ſcribunt, ac degunt, apponere V. ſ. ad commu[illegible]ns Anconæ &c. & antequam ſcriba e[illegible] obligent (niſi [illegible]ior loci, vndè venit Epiſtola, in Diffi. cõfirmatis, foras exeat, donec legatur.

5. Lectis Epiſtolis, vocentur viſitatores, qui cuiuscunque loci debito ordine viſitationem legant, ſedulò inuigilantes, attenteq; audientes Patres obſeruanteſq; punctualiter ſi quid aliqua nouâ prouiſione indigeat, & ſi quis eſt in Diffinitoriò, qui in ipſa recitatione Viſitationum comprehendatur, vel quocunque modo ad ipſum pertinere dignoſcatur, foras egrediatur, idem faciat P. Præſidens, eiuſq; locum tàm primus Diffinitor habeat, quibus expeditis comburantur viſitationũ notulæ, & ea, quæ amplius apparere non debent; Patreſq; viſitatores genuflexi culpam dicant, officiò renunciantes, quos P. Præſidens pænitentiâ iniuncta, abſolutos pronunciabit.

6. Et item ſi qui ſunt in loco, qui aliqua de cauſa viſitati non fuerint, vocentur, & viſitentur: ſic etiã ſi qui puniendi de ſuis defectibus, vel corrigendi, ſi præſentes fuerint, puniantur, & corrigantur, & ſi abſentes, debitâ pænitentia eis taxetur, ac ſuo tempore, ac loco executioni mandetur.

7. Anni præteriti Diffinitiones, ac ſtatuta perlegantur, & qui ea non fuerint exequuti, puniantur.

8. Accerſeantur inſuper Priores præteriti, qui in Diffinitoriò non ſint, ac diligenter interrogentur de ſtatu, neceſſitate, & proſperitate locorum, perſonarũ,

& aliarum rerum, quæ ad rem faciant, & qui corrigendi ſunt, corrigan[illegible]iam correctio prætermittatur, & qui in g[illegible]ecerint, etiam puniantur, vel ſi Diffinito[illegible] nec cuiquam hac in re parcatur, ſed cunctis puniendis iudicium fiat cum æquitate.

9. P. Præſidēs rem de qua agitur. proponat, & cōſequenter per ſuos gradus incipiens à digniori, vſque ad infimum, ab vnoquoque Diffinitore requirat, quid ſentiat, & vltimo loco quid ipſe ſuper re propoſita ſentit, verbis exprimat, quo tractatu ſic expedito, fiat per ſuffragia ſolitum ſcrutinium, at ſi duo Patres Diffinitores concordent quidpiam ad bonū regimen Congregationis ſpectans, proponere poſſint, ac valeant, ac ſcrutinio exponatur, etiam ſi P. Præſidens noluerit.

10. Si autem in Capitulo Generali aliquid proponatur, & approbetur, quod prius à Capitulo Conuentuali excluſum fuerit, nullum ſit, niſi excluſio Capituli conuentualis ipſi Capitulo generali fuerit manifeſtata.

5. Quandocunq; materiæ graues, difficileſq; pertractandæ erunt, ad primam ſeſſionem, vel etiam ad ſequentem diem reſolutionis protahantur, vt maturius examinentur, maximè verò in actis Capitularibus communem obſeruantiam concernentibus, à quibus ſemper abſtineant, niſi neceſſitas urgeat.

12. Declarantes tamē ordinationes, actuſq; Capitulares, qui ad communem obſeruātiam non ſpectant, ſtatim parere obligationem, donec reuocetur. Alij vero actus

ro actus Capitulares, qui ad communē obseruantiā spectant, statim pariter obligent(nisi constitutionibus aut actis Capitularibus cōfirmatis, aduersentur) sed vt vim legis habeant, necesse est, ut á sequenti Capitulo confirmentur, quod si non fiat, pro nullis, ac reuocatis sine ulla prorsus declaratione, habeantur. Idem pariter obseruandum in dictarum nouarum ordinationum reuocatione.

13. Quisquis autem in dicendo quid sentit, studeat breuitati, ea tantum quæ ad rem faciunt, exprimens friuolis, aut impertinentibus omissis. Quidquid enim hic peragitur, substantiale erit, alias nullo modo hic pertractetur, Nulla sint verba ingrata, ac aspera inter Diffinitores, nec voce, aut signo aliquo, sancta charitas vel leuiter offendatur. Nemo suam sententiam pertinaciter defendat, sed plurium opinioni facilé consentiat. Omnis quippe murmuratio longè absit nec quisquam signo aliquo prodat se grauiter ferre, quod contra suum votum tantum quidpiā sit definitū, sed quilibet hilariter sustineat, & qui contra fecerit, puniatur.

14. Caueat item quilibet, nec eorum aliquando verbum proferat, neq; signum faciat, quo animus eius circa futurum scrutinium alijs pateat, sed clausa manu suffragium tenens, cautè in vasculum immittat, ita vt videat nemo.

15. Sit insuper omnino prohibitum pro re aliqua ibi diffinienda, siue communis, siue alicuius propria existat, peculiarē tractatū [practica vulgo appellant] secreto

secretò habere,sed sola veritas, & Iustitia præ oculis est ab omnibus unanimiter habenda; prudenter unusquisq; consideret damnum, quid sibi, animæq; suæ, necnon proximo afferret,si votum,seu suffragium iniquo animo,contra Ius, & æquitatem, foras emitteret, Quamobrem semper in rebus terminandis,omni affectione,passioneuè depositâ,DEVS timendus est,eiusq, tantum gloria,animarumq; salus,atq; communis vtilitas sincero oculo respicienda.

16 Cum autem quæ in Diffinitorio tractantur quasi sub sigillo secreta retinenda, præsertim ea,quæ reuelata mutuum odium, magnaq; scandala suscitare valent inter Eremitas,Ideo in virtute S Obedientiæ ac sub formali præcepto decretū est, ne quis alicui referre, seu reuelare audeat,eiq; specialiter,de quo inabsentia actum est, rem in Capitulo tractatam, seu secretò diffinitam,vel factam,ex qua reuelatione discordia, odium,vel scandalum quoquo modo oriri queat. si quis cōtra fecerit é Diffinitorio eijciatur. nec liceat cuiquam,Diffinitores de rebus,quæ in Capitulo fiunt, interrogare

17 Post hæc accedant Computistæ, qui summariè exponant errores,& defectus in libris rationum repertos,expensarumq; excessus,&omnia quæ alicuius momenti esse videātur. Quibus auditis Diffinitores corrigant, emendent, ac puniant eos, qui malè administrauerint, secundum quod illis iustum esse videbitur, futurisq; saltem admonendo prouideant.

18. Si casus euenerit, vt decimæ vel aliæ impositiones

nes à ſede Apoſtolica, vel ab ipſo Capitulo pro aliquo Congregationis negotio, imponantur, tunc omnes Eremos, ſecundum ſingulorum facultatem, in ſolutione iſtiuſmodi oneris, pro rata contribuere oportebit, & antequam iſtæ taxæ fiant, omnes Capituli vocales audiantur.

19. Accuratè tandem conſiderent Patres omnia, quæ vel per Conſtitutiones, vel etiam per acta Capitularia, Capitulo reſeruata conſtant, vt antè Capituli finem debitè expediantur, cum infrá annum reſolui, vel diffiniri minimè poſſint.

20. Vltimò loco duo ſcrutatores Clerici, timentes Deum eligantur, qui fideliter in Prælatorum electionibus ſe gerant.

De electione Patris Maioris aliorumque Prælatorum.

CAP. IX.

His igitur feliciter expeditis ipſa die, in qua electiò Prælatorum fieri debet, mané dum Prima in choro cantatur. Miſſa de Spiritu Sańcto cum commemoratione Sańctorum Patrum noſtrorum Benedicti, & Romualdi celebrabitur, cui interueniant etiam Patres Diffinitores, qui fortè illa die celebrare non valuerũt, duo Clerici Scrutatores cum Oſtiario Capituli, qui ſaltem communicent.

2. Abſoluta miſſa Patres Diffinitores, Diffinitoriũ ingrediantur, vbi recitatis orationibus vt in ſabbatho, ac Dominica præcedentibus ad electionem Prælato-

rum deueniant, ac primo constitutio de eorum qualitatibus, & conditionibus prout in Capitulo proximè sequenti, ac caput secundum Sanctæ Regulæ cum sua constitutione in fine perlegantur.

3. In Prælatorum electionibus in Capitulo faciendis, solummodo Patres Diffinitores actiuam vocem habebunt, passiuam veró, qui ab eisdem fuerint nominati: In quorum nominationibus, præcedentiæ, non dignitatum, ac locorum ratiò est habenda: incipiendo ab ipso P. Maiore, postea sequuntur Visitatores, Procurator Generalis, ac Priores successiuè iuxta eorum gradus, quæ denominationes sic fiant.

4. Vocatis Clericis Scrutatoribus, P. Præsidens in virtute S. Obedientiæ illis præcipiat, vt suum officiũ fideliter agant, nec cuiquam vnquam ex ijs, quæ in Scrutinio dicta, factaué sunt, reuelent: Iamq; præparatis in sufficienti numero papiraceis schedulis eiusdẽ formæ, ac magnitudinis, quilibet ex Diffinitoribus in vna dictarum schedularũ, secretè nomen illius Patris, quem proponere, denominareq; voluerit in electione facienda, describat in hanc formam. Ego N. nomino in Maiorem N. exprimendo nomen Prælaturæ, Patrẽ N., & vnusquisque benè complicatus, ita vt nullo modo quidpiam appareat, dignosciuè possit in Pixidẽ Scrutatorum propria manu dimittant.

5. Scrutatores verò illis acceptis, é Diffinitorio exeuntes, in cellulam ad hoc sibi assignatum, se conferant, vbi sub silentio nomina eorum, qui nominati sunt, & Prælaturæ currentis in modum breuissimi memorialis scribant

scribant atq; in Diffinitorium reuertentes, sic Patribus deferant. sunt nominati ad Prælaturam N. Pater N., & N. nomina tamen, ac numerum eligentium, omninô reticentes, relinquentes schedulam, seù memoriale huiusmodi in mensa Diffinitorij.

6. Et nequis in errorem incidat, decretũ est nemini licere se ipsum in electione nominare sub grauissima pæna à reliquis Diffinitoribus taxanda. Ideò scrutatores cognoscentes in schedula hoc crimen, illicò reliquis Diffinitoribus, eamdem schedulam ostendentes, manifestabũt sub pæna vnius disciplinæ circularis.

7. Scrutatoribus foras egressis, fiat de vnoquoque electiò specialis per scrutinium: ac primò Diffinitores nominatos scrutandos esse, tum eos qui foris sunt, secundum professionis gradum, & qui vltrà medietatem plura fauorabilia suffragia obtinet in scrutiniò, illam, de qua agitur Prælatura, obtinebit: at si nemo plura vota supra medietatem obtinuerit, tunc denuò denominatio fiat, ac nominati scrutiniò subijciantur, vt supra, quod toties fiat, donec ex nominatis maiori calculorum parte, vnus eligatur.

8. Si quis ad Prælaturam electus recipere renuat, iustis deductis causis, audiatur, at si Patres in prouisis steterint, eorum dispositioni acquiescat.

9. Vnoquoque electo Prælato, P. Præsidens, suo aliorumq; Diffinitorum nomine, denuo eos eligant in hanc formam: Ego N. nomine meo, & omnium istorũ Patrum Diffinitorum eligo, ac pronunciò Patrem N. in Maiorem nostræ Congregationis, idem in alijs Prælatis,

latis, secundum eorum ordinem faciet. Et si Præsidens electus fuerit, Primus Diffinitor vt supra eliget. Nec vllo modo talis electio omittatur, quiá secundum Doctores in ipsa electionis essentia consistit, particularesque electiones factæ per suffragia à PP. Diffinitoribus sunt veluti præambula ad eorum voluntatem inuestigandam, & cognoscendum, quemnam ipsi intendant eorũ vice, ac nomine ad Prælaturas nominari, ac eligi.

De aliquibus requisitis prælatis necessarijs.

C A P. X.

NEmo in Maiorẽ eligi potest, qui per Quinquennium in hac Congregatione professus non fuerit, & nisi Prior, seu Visitator non extiterit, magnæ necessitatis casu excepto: Nullus Maior vltra quadriennium in officio perdurabit.

2. Visitatores biennio durabunt, nec eligi valent, nisi post quartum annum professionis, casu pariter necessitatis excepto.

3. Tam Maior, quam Visitatores eorum officio durante, non possunt esse Priores locales.

4. Maior, & Visitatores, diuersæ erunt Nationis.

5. Procurator in vrbe non erit eiusdem Nationis cum P. Maiore.

6. Nemo in Priorem eligi potest, nisi post quartum professionis annum in hac Congregatione, necessitatis casu excepto, tunc enim Capitulum dispensare poterit, casusque qualitatem iudicare: sicuti quando in necessitate

cessitate antè Quinquennium in P. Maiore, & Quadriennium in Visitatore.

7. Nemo in eadem Eremo Prior vltrà quatrienniũ maneat, quod etiam in Procuratore Generali in vrbe intelligatur.

8. Nullus vltrá sexennium Prælatura fungatur, & quodcunquè officium habens vocem in Capitulo intelligatur; post quod sexennium per biennium continuũ à quacunq; Prælatura vacabit, ita vt minor vacãtia ad rem non faciat, neq; numeretur. Annus autem hic ab vno ad aliud Capitulum intelligetur. Quando verò duo vel tres deessent menses à Capitulo generali aut Dieta, vel etiam infra annũ à Tribunali dispensari poterit.

9. Omnis Natio tot ad minus Priores habebit, quot habet Eremos, excepta Viennensi Eremo: cuius Prior à quaq; natione assumi potest.

10. Nostræ Congregationis Nationes vna est status Ecclesiastici, altera Lombardiæ, seu Dominij Veneti; Tertia Regni Neapolis, Quarta Poloniæ, Viennæq; simul.

11. Qui fugitiuus, aut Apostata vltrà mensem extiterit, non potest in Prælatum eligi, nisi post triennium Capitulum dispenset, vt suo loco dicendum est.

12. Qui librum Rationum suæ Eremi ad Capitulũ non tulerit, eo anno non est in Priorem eligibilis, sicuti qui ex ordinaria in dispositione communi vita viuere non potest, non poterit in Priorem eligi.

13. Moneantur tandem Electores, tam in Diffinito-

rum, Priorum, aliorumq; Prælatorum electione, suæ minimè facere satis obligationi, si quem bonum iudicant, eligant, sed tenentur eligere, quos in conscientia iudicant meliores, alias mortaliter peccant, etiam si non iurassent, se meliores electuros.

De locorum Reformatione & familijs constituendis.

C A P. X I.

Post Prælatorum electiones, consequens est, & familias locorum ordinare, atque fratres suis locis, prout necessitas, seu opportunitas exigit, deputare; sed præcipuè cauendum est nè sine causa, sineq; maxima necessitate fratres à loco ad locum transferantur, & præcipuè ij, qui ibidem quieti manent. Quæ quidem indiscreta, nimisq; frequens Eremitarum mutatio nunquam laudanda est, quia multa mala parit, neque audiendi sunt quidam instabiles, qui quotidie velut aues volatiles per omnes Eremos transuolare cupiunt, sed potius ad stabilitatem suadendi sunt, imò & cogendi.

2. Si alicui ratione mutationis aliusuè negotij itinerandū erit dimissorias Epistolas à Patre Priore secū deferat, alias non nisi per noctem in nostris locis admittatur, nisi talis, tantæq; qualitatis esset Pater, ut nullam suspitionis vmbram admitteret.

3. Considerent insuper Diffinitores in familijs constituendis, & cuiusq; loci viuendi facultates, & habitādi commoditates ne siquidem locus plus æquo grauetur, fratresq; necessitates patiantur. Sic autem hæc familiæ collocatio fiat, vt æqualitas serue-

tur, neminiq; grauamen inferatur, [scriptum est enim] quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Accipiant tamen omnes Priores cum patientia eos, quis ibi consignati sũt fratres, nisi aliquid rationi obstet, nec est quod quisq; ignoret, quæ à superioribus [cõsilio habito] fiunt, à Domino fieri, sicq; saluti consuli animarũ.

De conclusione, & publicatione Capituli.

CAP. XII.

Pertractatis omnibus, quæ ad dispositionem Capituli pertinent, eligantur Patres Visitatores pro loco residentiæ P. Maioris & Visitatorum, qui eum visitabunt ante Capitulum generale, aut Dietam.

5. Tum omnia acta Capitularia per scribã legantur, cæteris attẽte audiẽtibus, quæ emẽdẽtur, & corrigãtur addẽdo, vel minuẽdo, secũdũ quod visũ fuerit Diffinitoribus, & specialiter signẽtur ea, quæ Patres publicari nolunt.

3. Postea Diffinitores triduum sibi reseruent, quo ipsi, seu maior eorum pars, in eodem loco inuenti, possint suam auctoritatem, vbi opus fuerit exercere, nihil tamen ex his, quæ facta sunt, reuocari possint: & si quis eorum terminos loci egressus fuerit, auctoritatem amittat. In quo triduo PP. Diffinitores, omnibus Prælatis præcedent, atq; etiã Patri Maiori in Diffinitorio extra quod ipse Pater Maior Diffinitoribus præcedet.

4. Rebus á Capitulo decretis reuisis, omnia describãtur in libro Actorũ Capitulariũ distinctè, & ordinate-

tè legibiliq; charactere per eundē scribā, seu per alium, dummodo ipse se propria manu subscribat. Crastina verò die, Missa cum oratione, Deus, qui nos à seculi vanitate &c. & post Nonam, oratione ordinaria completâ, ad sonum campanulæ omnes Eremitæ in Capitulo culparum congregentur.

5. Vbi cunctis sedentibus Pater Præsidens breui quodam sermone, omnes hortari adveram promptāq; obedientiam debet. Crucem itèm quemq; suam amplectendam, libenterq; portandam instruere. quò cessante, assurgat scriba, ac stans ante Altare, alta, & intelligibili voce, distinctèq; omnia gesta, decretaq; Patrū præter ea quæ tacita esse voluerunt, omnibus audientibus, publicè vti Notarius, perlegat.

6. Publicatione tali finita, suum locum Pater Maior accipiet, ac statim intonabit. Te DEVM Laudamus quo decantato, & si quid habet dicendum, dicat in confirmationem earum rerum in Capitulo factarum, ad omnimodam obseruantiam, omnes adhortando, tam Prælatis, quam subditis denuncians, vt infra triduum se expediant, suumq; iter arripiant ad locum obedientiæ. Item prohibeat, ne qui sine cōsensu, & licentia Prioris eiusdem loci quidpiam inde secū deportet.

7. Debet vnusquisque Prior, acta seu decreta, quæ ad suum locum, & ad communem obseruantiam pertinent, copià desumpta, secum deferre, ac in libro suæ Eremi (denunciata prius suis Eremis, ac familiæ] describere, & qui rescribere, accipereué neglexerit, vel ipsemet

ipsemêt Prior, vel in eius absentia primus dignitate, aut professione illius loci, ac familiæ, qui præses fuerit, semel in pane, & aqua ieiunet & septẽ psalmos pænitẽtiales cũ Litanijs, & orationibus genu flexus dicat

8. Demum per Depositarium, Crumenæ cum pæcunijs Prioribus restituantur, vnicuiq; scilicet crumena illius loci, cuius est Prior, sciente Patre Præsidente qui ad hoc, vt optima methodo, perfectaq; pace pertranseat, assistentem denominabit: quia sicut Priores omnes, qui ad Capitulum accesserunt, tam pro accessu quã pro recessu viaticũ detulerũt, ita õnes pecuniam habere debent sufficientẽ ad designatum locum, & vt hoc ordinate accidat illis, qui ob vacantiam, seu aliam causam, vel respectum sine Prælatura restant, congregentur crumenæ illorũ locorum, pro quibus nouæ Prælaturæ constitutæ sunt, quæ scilicet non erant de corpore Capituli, talibus enim tradi debet viaticum a loco vbi de familia degũt, quod etiã de Maiori, ac Visitatoribus intelligẽdũ est, & si aliqua crumena insufficiens esset, tunc Eremus, à qua Crumena ipsa sumpta est suppleat, & si superabũdet, eidẽ Eremo restituatur superfluum.

De Auctoritate Patrum Maioris & Visitatorum

CAPVT X.III

Infrà annum Pater, cum Visitatoribus commune ac supremum Tribunal cõstituunt Religionis. Et in omnibus Eremis seu Cõgregationis locis, eandẽ auctori-

tatē habēt quā, suo tēpore Generale Capitulū habere solet, exceptis iis quæ in istis Cōstitutionibus, vel per alias diffinitiones declarationesuè eidē Capitulo expressè reseruatæ fuerūt.

2. Solus Pater Maior de rebus locorum (neq; vbi ipse deget) disponere non potest in Priorum præiudicium, nec in aliquo circa loci regimen se intromittere, neq; in Sabbathis fratrū culpas audire, potest nihilominus generales, aut particulares debitas correctiones Prioribus, ac subditis simul, ac cuilibet eorum facere, quotiescunq; necessarium iudicauerit sicutî minuere, ac remittere pænitentias infrà annum à Prælatis, aut constitutionibus taxatis (si humiliter pænitentes petant) prout ad salutem animarum expedire iudicauerit: & idem in actu visitationis, & non alijs temporibus, visitatores poterunt.

3. Idem P. Maior curabit, vt Capituli Generalis ordinationes, boniq; mores, ac antiquæ Religionis consuetudines exactè obseruentur, qod etiam Priores in eorum residentijs, præstabunt, alias eorum conscientiæ grauentur.

4. Pater Maior cum visitatoribus omni loco, ac tempore, quocunq; fratrem etiam Prælatum ad eorū libitum corrigere, punireuè posśūt, ac loca, personasuè, vbi, ac quandocunq; voluerint visitare: Item fratres de loco ad locum mutare, ac quicquid vtile personis, lociq; futurū iudicauerit efficere. Quæ tamen mutationes raro, vel nunquā fiant, nisi animarū periculum immineat, aut necessitas cogat.

5. Si aliquis Prælatus, [quod absit] cōuictus fuerit diuinorum,

diuinorum, aut S. Ecclesiæ præceptorum, Regulæ aut Constitutionum, aut ordinum, ac Diffinitionum Capituli Generalis, aut S. obedientiæ contemptor, deponatur, si Religiosorum corruptor, aut ita negligens esse comprobetur, vt euidenter graue scandalum, damnum aut ruinam Congregationi locouè; cui ipse præest, euenire posse dignoscatur, bis, aut ter intra terminos à P. Maiore assignatos, amoneatur, vt sistat, seq; corrigat, & non correptus deponatur: Et si Pater Maior eponendus foret, idem prorsus secum obseruent visitatores.

5. Quocunq; depositionis casu, aut noui Maioris electionis per mortem. aliamuè causam, Visitatores alios quatuor Prælatos conuocare debent, vt omnes simul ad depositionem, aut electionem canonicè eodē prorsus modo ac formâ, quâ in Capitulo Generali Maior eligitur, procedant, & eo tempore quo Maior deerit, Visitatores in administratione suppleant.

6. Sed in depositione, aut electione vnius Visitatoris alteriusuè Prælati, satis sunt quinque: ita vt in electione vnius Prioris Pater Maior, ac Visitatores, duos ex illa Natione Prælatos, vbi talis electio facienda est, conuocabunt; Ita ut quinq; sint Electores: sed pro electione, aut depositione vnius visitatoris, P. Maior, visitator, tresq; alij Prælati interueniant, & sic quinq; simul ad electionem, depositionemq; procedant.

7. Quæcunq; momenti dubia Pater Maior cum visitibus, tum in actu visitationis tum extra, circa cultum Diuinum, ac cæremoniás, etiam si ex Constitutionibus

ſeu quibuſcũnq; Patrum declarationibus, deſcendant ac oriantur, declarare vtiq; poterit. dubia verò parui momenti ſolus Pater Maior, atq́, etiam Viſitatores, declarabit[ſed iſti ſolum in actu viſitationis] pariter & Priores leuia dubia quæ euenire poſſunt, poterunt declarare, non tamen momenti, quam viſitam Pater Maior, quam Viſitatores & Priores an dubia magni ſint momẽti vel leuia intepretari poſſint, eorumq́: declarationi omnes acqieſcere debent, qui ſi abſurdè declararũnt, Capituli Generaliſiudicio ſubiaceant.

9. Intra annũ omnia negotia, & actus Congregationis occurrentes, ad P. Maiorem deferatur, cui cum P P. Viſitatoribus eorum expeditio incumbit, quibus etiam in actu viſitationis Priores negotia grauia occurrẽtia, communicabunt.

10. Debent ſingulis annis, graui ceſſante neceſſitate de cõſenſu P. Maioris totã in Italia Congregationem viſitare: Et quia Poloniæ ác Germániæ annualis viſitatio non eſt poſſibilis, ſed quoties poſſibilitas vrget, à Capitulo Generali, aut Dieta avt à Patre Maiore ac Viſitatoribus prouideatur, vt ſingulis quoq; annis etiam dicta loca viſitentur? Et ſi quis a Viſitatoribus Generalibus ſe grauatum ſenſerit, ad Patrem Maiorẽ aut Dietam appellent, & ſi à delegatis, ad Tribunal.

11. Cum ipſi Viſitatores de ordine, & conſenſu P. Maioris Congregationis Eremos viſitabunt, eandem, quam cum ipſo Maiore ſimul habere conſueuerunt auctoritatem, retinebunt, ſed locum vbi ipſi reſident viſitare minime poterunt. Et inter viſitandum aliquid

arduum

arduũ difficileuè occurrerit Maiorẽ pro ipsius casus decisione cõsulát, ac si possibile sit, & casus dilationem patiatur, ante resolutionem eius sententiam expectent.

12. Ad suum libitum poterit P. Maior quotiescunq; voluerit cum visitatoribus visitare Congregationem sed non omittat singulis triennijs, aut quadriennijs Poterit pariter pro tempore Maiori, si locum aliquem particularem voluerit visitare, adsuum beneplacitũ duos visitatores ducere.

13. Visitatores nullo modo in domesticis negotijs locorum, quos visitant, se ingerant, neq; absq; Maioris consensu poterunt, alicuius Prioratus renunciationem recipere, imò talis renuncians ab ipsis puniatur.

14. Visitatorum auctoritas inter vtrosq; communis est, ita vt alter sinè altero suam Iurisdictionem nullibi exercere queat, nisi per Maiorem aliquem locum visitandi, aut aliquid aliud faciendi, commissum fuerit, quo casu, Visitator delegatus cum sacerdote assignato in socium à P. Maiore, plenam (nisi limitata ei, fuerit) habebit auctoritatem, quam P. Maior, aliusq; visitator simul habent.

15. In visitationibus antiquum stylum modumue Congregationis retineant, incipiendo à Prælatis, aut superioribus, ac successiué à primis in professione. Ac in visitandis officinis, Cellulisque tam Prioris, quam cuiuscunq; fratris, semper dictus P. Maior intersit. Nullo modo libros rationum videre omittant, vt præcipuè certiorare Dietam possint.

16. Antequam visitatores ad visitandum proficis-

cantur, ſimul cum P. Maiore, duos vice viſitatores eligant, qui eorum durante abſentia, valeant cum Patre Maiore eſſe, ac negotia plenâ auctoritate expedire. Et quia primi in dignitate hucuſq; eligi obtinuit conſuetudo, aut profeſſione antiquiores domi exiſtêtes, ideò impoſterum idem obſeruentur, niſi iuſtis de cauſis, & maturâ conſideratione aliter faciendum iudicatum foret: qui vice viſitatores ad regreſſum duorum viſitatorum generalium, auctoritatem deperdant.

17. Iidem Viſitatores (vltrá Eremos, ac loca) viſitabunt Beneficia tam curata, quam non curata, & in eis, quæ viderint neceſſaria prouidere: quorum ordinationes ac decreta in actu viſitationis facta, in ſpeciali libro adnotentur, quorum tranſumpta ad Capitulum generale portabunt: quæ ordinationes ſemper obſeruari debent, donec à Capitulo generali, aut ſubſequêtibus viſitatoribus, reuocatæ fuerint: ac ijdemmet viſitatores, & alij pro tempore exiſtentes de eorum obſeruantia inquirant.

18. Viſitatores ad viſitandum locum reſidentiæ P. Maioris, ac viſitatorum, electi, non illuc accedant, neq; ſuâ vtantur auctoritate, niſi poſt Paſcha, & ſic antè Dietam proportionabiliter, niſi à P. Maiore vocati antea fuerint.

De Receptione nouorum locorum.

CAP. XIV.

Si Congregationi nouus offeratur locus, recipiendus erit, niſi Eremitico inſtituto repugnet, nec loca tam oblata, quam recepta repudiari poſſunt, niſi maiori

calculorum

calculorum maioris partis vocalium, ad Generale Capitulum aduentorum. Noua etiam loca procurare licebit, quando ob multitudinem fratrum loca non essent capacia.

5. Recipiendi autem facultas, penes Capitulum Generale erit: hoc tamen addito, ne locus recipi aliquo modo valeat, in quo duodecim Eremitæ ali sustentariq; nequeant, iuxta Decretum Gregorij xv. Multæ accipiendis in locis circũstantiæ cõsiderandæ sunt, inprimisq; situs, Regio & loci solitudo vt scilicet Eremitico instituto conueniant adaptariuè valeant: ac præcipuè eorum prospectus ad meridiem, & orientẽ vergat, nequaquam autem ad Septentrionem. Syluas habeat densas, ac latas, & aquam in abundantia Multum iuuabit, si situs etiã deuotionẽ redolet, & inter fideles, ac deuotos consistit Sed si hæ omnes conditiones non adsint, præcipuæ tamen, ac necessariæ non desint,

Conclusio & Confirmatio Constitutionum

CAPVT XV.

Præsentibus Constitutionibus, ordinatis, ad earum maius robur, ac firmitatem communi consensu PP. Diffinitores cum Patribus Vocalibus præcipiunt, vt omnes Cõstitutiones inhoc libro descriptæ perpetuæ sint ac fideliter, inuiolabiliterq; vnâ cum Regula S. Patris Benedicti, ab omnibus Eremitis Nostræ Congregationis præsentibus, & futuris perpetuò seruentur.

2. Quæ

2. Quæ Constitutiones, nunquam in totum, vel in partem, reuocari, mutari, aut alterari poterunt, nisi à duobus Capitulis generalibus continuis reuocatæ, mutatæ, aut alteratæ omnium suffragijs, aut à tribus continuis Capitulis maiori parte votorum. sed ordinationes Capitulares, idest actus Capitulares, qui à Capituli Generalis Diffinitoribus ad communem obseruantiam fiunt, postquam semel legitimé facti fuerint, ac modo supradicto confirmati, non poterunt reuocari, aut cassari, nisi per duo sequentia Capitula, vt iam dictum est cap. V.

Forma induendi Nouitios.

CAP. XVI.

AD habitum post probationem quadragenariam approbatus Nouitius, si fieri potest die festo per Superioris manus, habitus ei tradatur in missa Conuentuali, qui Nouitius post offertorium per Magistrum antè Altare præsentabitur, edoctus prius quid dicendum, faciendumuè ei incumbat, indutusq; Tunicella subtus antea, gestans Coronam Clericalem, si Clericus fuerit, cui genuflexo, manibusq; iunctis, Sacerdos conuersus dicat. Quid postulat Charitas vestra? Cui ipse alta voce respondere debet. Misericordiam DEI, & habitum vestræ Sanctæ Religionis Eremiticæ Regularis, humiliter peto. & Sacerdos subdat. Planè ne exploratum habetis fili, maturaquè consideratione perspectā formam, ac seriem vitæ nostræ, prout in Regula, & Constitutionibus continetur? quam sit ardua, & austera, nè fortè Succumbentibus vobis, perseuerantia in-

terdicatur.

cerdicatur. Nouitius reſpondet. Reuerende Pater optimè perpendi, ac ritè conſideraui omnia, & quamvis cognoſcam vires meas tanto negocio impares eſse; nihilominus de gratia Omnipotentis Dei confido,ſperoq; auxilio ipſius, & veſtrum omnium orationibus me peruenire poſſe ad culmen huius noſtræ Sanctæ vitæ, atq; permanſurum vſq; ad mortem, quemadmodum fecerunt Prædeceſſores mei, qui perſeuerauerunt vſque in finem. Quapropter rogo vos amore Dei, quatenus habitum Sanctum veſtrum mihi concedere non grauemini. Deprecantes Dominum Deum, vt ipſe pro ſua pietate, & miſericordia gratiam mihi impartiri dignetur,quâ meam bonam voluntatem proſequi, ac bonum deſiderium meum perficere queam. Tunc demum concludat Sacerdos, dicens. Fiat vobis, ſicut credidiſtis, & petijſtis, & gratia Dei maneat ſemper vobiſcum in auxilium veſtrum. Deindè incipiat pſalmum 50. Miſerere, ac proſequatur, cum Magiſtro ex vna parte, & Chorus ex altera, vſq; in finem cum Gloria Patri, &c. poſtea Kyrie eleiſon Pater noſter, & ne nos ℣ Saluum fac ſeruum tuum Domine ℣ Oſtende ei Domine miſericordiam tuam ℣ Eſto ei Domine Turris fortitudinis ℣ Nihil proficiat inimicus in eo ℣ Mitte ei Domine auxilium de Sancto ℣ Domine exaudi orationem meam ℣ Dominus vobiſcum, cum ſuis reſponſorijs à Choro faciendis. Quibus abſolutis ſacerdos conuerſus ad Altare precatur hoc modo. DEVS indulgentiæ Pater, qui ſeueritatem tuæ diſtrictionis temperans indulſiſti, ne filius portet

us portet iniquitatem Patris, & qui mira diſpenſatione etiam malis benè vtens tuæ dignationis gratiam per eos frequenter operaris, quæſumus clementiam tuam, vt huic famulo tuo non obſiſtat, quod habitum Sanctæ Religionis huius Eremiticæ per nos tanta, ac tali re indignos accipit, ſed Miniſterium quod per nos exterius exhibetur, tu interius per donum Sancti Spiritus exequaris. Per Dominum noſtrum. &c.

Deus qui per coæternum Filium tuum cuncta creaſti, quique mundū peccatis inueteratum &c. quibus finitis Sacerdos, ac Magiſter genuflexi vſquè ad finem dicant Hymnum Veni Creator Spiritus &c. & Chorus reſpondeat alternatim. poſtea Sacerdos expoliet Nouitium, dicens, Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus tuis, leuando ei tunc omnia ſæcularia indumenta, & noſtro induendo habitu, dicat, Induat te Dominus nouum hominē &c. & Chorus repetat ſemper eadem verba. Poſtea Sacerdos ſequentes ſubdat orationes DOMINE IESV CHRYSTE &c. cum duabus alijs, vt in originali latino. Poſtea aſpergatus Nouitius aquâ benedicta, dicendo Aſperges me &c.

Ac imponatur ei nomen alicuius Sancti, aut certè alicuius noſtri Eremitæ memorabilis Defuncti, quo nomine quantum commodé fieri poterit, nullus alius in Congregatione appelletur. Tandem adhibeat Sacerdos aliquam breuem adhortationem, quâ nouitius toto conatu ad perſeuerantiam, iterq; perfectionis viriliter Capiendum efficaciter accendatur, & in fine benedicat eum dicendo. Benedictiò Dei Omnipotentis

Patris,

Patris, & Filij, & Spiritus Sancti descendat super Te, & maneat semper tecum Amen. Post hæc deducat eum Magister in locum suum, ac spolia, & omnia, quæ illius sunt in communi pœnu deportentur, vbi vsq; ad professionem tutè asseruentur.

Forma profitendi nostrarum Eremitarum.

CAP. XVII.

COmpleto tempore probationis Nouitij, eoque ad profitendum per Capitulum admisso, confessione quoque generali peracta, die, quo professionem emissurus est, celebret missam Conuentualem Superior, & antè offertorium, conuerso Celebrante ad fratres, Nouitius iam præsentatus coram Altari stans Capite nudo legat alta, & intelligibili voce professionem suam ab ipsomet prius scriptam in libro professionũm, aut ab alio nomine, & rogatu ipsius, nesciente ipso scribere, cuius professionis forma communis erit tam Sacerdotibus, & Clericis, quam & Laicis, ac & illis, qui alterius Congregationis professi extitissent.

Forma Professionis.

Ego N. promitto stabilitatem meam in hac Congregatione Eremitarum Camaldulensium, morumq; meorũ conuersionem, & obedientiam paupertatem, & castitatem, secundum Regulam S. Patris Nostri Benedicti, & Constitutionis dictæ Congregationis Altissimo Deo omnibusq; Sanctis, ac specia-

liter eorum, quorum Reliquiæ in hac Eccleſia habentur, ac legitimis ſuperioribus eiuſdem Congregationis Die Menſe & Anno Quam vt ſupra lectam profitens, Altari imponat in cornu Epiſtolæ,ſignetq; eum propria manu, & ſi ſcribere neſciat ſignet in medio ſigno Crucis, quam duo Teſtes ſubſcribant, Deſerens dictum libellum ſuper Altare, quem depoſitum Sacriſta, Sacrario reponat,atq; cuſtodiat.
Profeſſus Altari deoſculato, ante illud reuertatur. vbi genu flexus, manibuſq; iunctis, voce aliquanto alta dicat. Patres mei orate pro me. Et tunc ſacerdos precetur in hunc modum Oremus fratres chariſſimi, vt quod ore frater iſte profeſſus eſt, opere feliciter compleat,auxiliante Domino Noſtro IESV Chriſto &c. Surgens inde Profeſſus, eleuans manus in principio ac iungens in fine. genu flexus ter dicat Suſcipe me Domine ſecundum eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea. Choro idem repetente, & Profeſſus ſubdet. Gloria Patri &c. & Chorus reſpondebit, ſicut erat &c. Poſtea Sacerdos benedicat nouum cingulum in pelui à Sacriſta præparatum, hanc Orationem dicens, id eſt, Domine DEVS bonarum virtutum dator &c. vt in originali.
Aqua benedicta nouū cingulum ſimulq; Profeſſum aſperget, & incenſabit: & leuando cingulum vetus dicat, exuat te Dominus veterem hominem cum actibus tuis, ac nouo eum præcingens, ſubdat. induat, & præcingat te Dominus nouum hominem,qui ſecundum DEVM creatus eſt in iuſtitia, & Sanctitate veritatis :

veritatis: Choro idem repetente, tum ſacerdos Kyrie eleiſon &c. Pater noſter &c.& ne nos &c. Saluum fac seruum tuum &c. Oſtende ei Domine miſericordiam tuā &c. Eſto ei Domine Turris fortitudinis &c Nihil proficiat inimicus in eo &c. Mitte ei Domine auxilium de Sancto &c. Dñe exaudi orationē meam &c. Dñus vobiſcum &c. cum reſponſis à Choro faciendis, & ſubdat ſequentes orationes, ſcilicet, Omnipotens ſempiterne DEVS &c. vt in originali.

2. Orationibus completis, ſacerdos intonabit Te DEVM Laudamus &c. quem vterque Chorus alternatim aliquali pauſa interpoſita decantabit. Interim nouiter profeſſus, ſe ſuper pannum nigrum in dextrū Latus collocet, Capite ceruicali ſuperpoſito, & altero ſimili panno longè diſtentus operiatur, & ad cuius caput, & pedes duæ candelæ trium vnciarum ponderis accendantur, ſe totum interim offerens DEO & illum deprecans pro toto mundo. Et completo per Chorum Te DEVM. Sacerdos ſtans verſus profeſſum dicat, ſurge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. leuato opertorio nigro, ſurget profeſſus, ac coram Altari ſe collocabit, ſuper primum gradum genuflexus, Sacerdos illum benedicat, dicens Benedictiò DEI Patris omnipotentis &c. ac breuiter eum hortetur ad promiſſorum obſeruantiam, & feruidam vſq; in finem perſeuerantiam. Tandem, vt cognoſcat ſe per emiſſionem profeſſionis eſſe effectum membrum Congregationis ipſum Sacerdos oſculetur oſculo pacis, & idem omnes tam Sacerdotes, quam alij profeſſi

faciant secundum gradum, ac eorum professionem, deprecantes à DOMINO perseuerantiam his verbis. DOMINVS custodiat introitum tuum, & exitum tuum ex hoc nunc, & vsq; in sæculum, illo respondente. Orate prome, His completis Professus ad suum locũ pergat, & Sacerdos completa missa reuertatur in Sacrarium,

Formæ professionis, & secundæ Constit: Partis

Finis.

Cum

Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, præfati exponentes Constitutiones huiusmodi quo firmius subsistant, & seruentur exactius, Apostolicæ Cōfirmationis robore cōmuniri summoperè desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, omnes, & singulas Constitutiones præinsertas auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos Iuris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint, supplemus. Decernentes easdem præsentes litteras, omnesque, & singulas Constitutiones præinsertas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit, in omibus, & per omnia plenissimé suffragari, & ab illis respectiuè inuiolabiliter obseruari, sicque in præmissis per quoscunque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere; ac irritum, &

inane

inane si secus super his á quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus. & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Congregationis Montis Coronæ, eiusque Eremorũ, & Domorũ Regulariũ quarumuis etiam iuramento, Confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Priuilegijs quoq; indultis, & literis Apostolicis in contrariũ præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus õnibus, & singulis; illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliás in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice duntaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisq; contrarijs, quibuscunq; Volumus autem, vt earundem præsentium literarum trãsumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die vigesima septima Septembris 1669. Pontificatus Nostri anno tertio.

I. G. Slusius.

Con-

Confirmatio Indultorum, seù Priuilegiorum, ac Indulgentiarum; nec non Statuti, siue Decreti Capituli Generalis, ac extensio Constitutionis fel. rec. Clementis Papæ VIII. quæ incipit Ambitiosam *ad Eremitas Camaldulenses Montis Coronæ.*

CLEMENS PAPA NONVS
AD PERPETVAM REI MEMORIAM.



X iniuncto Nobis diuinitus, meritis licet imparibus, Apostolicæ seruitutis officio, ad ea libenter intendimus, per quæ felici Congregationum quarumlibet, præsertim Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ successui, & Religiosorum in ea Altissimo famulantium quieti, spiritualique consolationi prouidetur, ac vt Priuilegia, Indulta, & Indulgentiæ per Romanos Pontifices Prædecessores Nostros eis concessa, eò firmiùs illibata persistant, quo sæpius fuerunt Apostolica auctoritate munita Nostræ confirmationis robur, prout in Domino conspicimus, salubriter expedire: Cum sicut accepimus Camaldulensis Ordo in summa puritatis, & deuotionis perfectione, cum bonæ famæ, & virtutum odore ad ædificationem militantis Ecclesiæ, cooperante Domino, per longam annorum seriem, ac exemplari Religiosorum suorum vita, & sanctimonia semper floruerit, & floreat, nihilominus, postquam fel. rec.

Vrbanus Papa VIII. Prædeceſſor Noſter Eremum Camaldulenſem Hetruriæ, ſiue Prouinciæ Aretinæ, ac Congregationem Montis Coronæ Ordinis Camaldulenſis Peruſinæ, ſeu nullius Diœceſis earumque reſpectiuè Eremos Monaſteria, membra, & alia regularia loca ab eis quomodolibet dependentia, inuicem perpetuò vniuerat, incorporauerat, ac in vnam ſolummodo Congregationem Eremitarum Camaldulenſium nuncupandam erexerat, & inſtituerat, ita vt Camaldulenſis Hetruriæ Eremus totius Congregationis eſſet caput, ac vlterius vnionem, & incorporationem, aliàs de Camaldulenſi Eremo in Montibus propè Taurinenſem Ciuitatem ſita, vnâ cum omnibus alijs Eremis, & locis, ab ea dependentibus, ſiue ad illam quomodolibet ſpectantibus, ſupradictæ Congregationi Montis Coronæ factas approbauerat, & confirmauerat, inter dilectos filios Eremitas Camaldulenſes Nationis Hetruriæ Sacræ Eremi nuncupatos, ex vna, ac illos Nationum Status Noſtri Eccleſiaſtici, Dominij Veneti, Regni Neapolis, Poloniæ, & Germaniæ, qui olim ſub Congregatione Sacræ Eremi Montis Coronæ comprehendebantur, ex altera, ac illos Pedemontanæ Nationis, ex reliqua partibus variæ lites, & diſſenſiones exortæ fuerint, Nos ob peculiarem, quem erga hunc Eremitarum Ordinem gerimus affectum; conſiderantes, nullum aptius remedium adhiberi potuiſſe, ad conſequendam ánimorum quietem, & firmiorem charitatem, quam dictas Nationes ſeparare, & reducere ad formam regiminis, quo gubernabantur, ante illa-

illarum vnionem, vt præfertur factam: propterea, dictas vnionem, & incorporationem dictæ Eremi Camaldulensis Hetruriæ, siue Prouinciæ Aretinæ prædictæ, ac Congregationis Montis Coronæ earumq; respectiuæ Eremorum, & aliorum Regularium locorum, adinuicem, sic vt præfertur á prædicto Vrbano Prædecessore vnitorum, nec non aliam vnionem siue incorporationem prædictæ Eremi Camaldulēsis in Taurini Montibus, vt præfertur sitæ, vna cum eis dependentibus, & annexis ad prædictam Congregationem Montis Coronæ,ab eodem Vrbano Prædecessore, etiam vt præfertur confirmatam reuocauimus, dissoluimus, & annulauimus, iuribusq;, & effectu penitus, & omninò euacuauimus, ac Nationes prædictas ab inuicem separauimus, easq; ad formam regiminis, quo, antea dictas vniones respectiuè gubernabantur, reduximus, prout in Nostris litteris, in forma Breuis sub Datum 24. Octobris anno Domini 1667. Pontificatus Nostri anno primo ,plenius continetur, subinde Nos Constitutionem à præmemorato Vrbano Prædecessore Nostro, super translatione Eremitarum, de vna Prouincia, siue Natione ad alteram Prouinciam, seu Nationem,iuxta formam, ab eodem Vrbano Prædecessore præscriptam, reuocauimus cassauimus, ac similiter annullauimus, prout in alijs Nostris litteris in eadem forma Breuis, de super sub Datum Romæ 23. Martij anni eiusdem Domini 1668. Pontificatus Nostri, similiter anno primo, expeditis, vberiùs etiam continetur. Et cúm sicut etiam

accepimus, in Capitulo Generali habito, de præsenti anno pro maiori Regularis disciplinæ obseruantia, sub Nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito, fuerit statutum, siue decretum, quod si aliquis ex Eremitis prædictis, siue sit ipsius Congregationis Montis Coronæ Maior, siue sint Visitatores, aut Procurator Generalis, aut quilibet alius, quacunque alia dignitate suffultus, quascunque Prælaturas, Dignitates, munera, & officia quæcunque, aut quascunque alias honorum gratias, mediante quorūcunque Principum, tam Ecclesiasticorum etiam S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, seu prælatorum, etiam de gremio, dictæ Congregationis de Monte Corona existentium, quam secularium fauore, à sede Apostolica directè, vel indirectè, absq; consensu Capituli Generalis impetrauerit, literæ pro consequenda dicta Prælatura, siue dignitate munere aut officio, aut quacunq; alia honorum gratia, etiāsi literæ Apostolicæ fuerint, dummodo in eisdem literis Apostolicis, de prædicto statuto, siue decreto expressa, & specifica mentio facta non fuisset, nullius essent roboris, vel momenti, Nos qui certè scimus, & ex euidentia facti conspicimus, quod non benè colitur pacis Auctor, nisi in pacis tempore, & ambitio est vitiorum mater, sanctitatis tinea, ac cordis excæcatrix. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, dictæque Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam ex voto Congregationis, sub die 19. Iulij præsentis, anni habitæ, dilectorum Filiorum Nostrorum

Sanctæ

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum, cui hoc negotium discutiendum commiseramus, prædictos Eremitas Montis Coronæ amplioris gratiæ, fauore prosequi volentes, prædictarumque, & aliarum litterarum, etiam in simili forma Breuis, si quæ sint, superinde confectarum tenores, etiam veriores præsentibus pro expressis habentes, statutum, siue decretum prædictum, nec non omnia, & singula Indulta, Priuilegia, & Indulgentias, hactenus à diuersis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, eidem Congregationi Eremitarum Camaldulensum Montis Coronæ concessa, ac reuocationes, dissolutiones, & separationes Eremitarum Hetruriæ, & Congregationis Montis Coronæ, ac Eremitarum Camaldulensium, propè Taurinum, sic ab inuicem per Nos factas, & reuocationem statuti Vrbani Prædecessoris Nostri huiusmodi super translatione Eremitarum prædictorũ, aliaq; per Nos gesta, & ordinata pro maiori, & firmiori subsistentia, Apostolica auctoritate approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, omnesque, & singulos, tàm iuris, quàm facti, solemnitatumq; etiam substantialium defectus, si qui forsan quomodolibet interuenerint, in eisdem supplemus, nec non Constitutionem, aliàs à san. mem. Clemente Papa Octauo, similiter Prædecessore Nostro, quæ incipiat, *Ambitiosam*, contra Camaldulenses Monachos, officia, & dignitates ambientes editam, pro maiori supradicti statuti, siuè decreti cor-

 roboratione,

roboratione, ad eosdem Eremitas Camaldulenses Montis Coronæ extendimus, illamq; omnes comprehendere, ac eosdem ad eiusdem Constitutionis obseruantiam, strictè obligatos esse, cum earundem pœnarum in dicta Constitutione contra transgressores comminatarum incursu declaramus, ac eisdem Eremitis Camaldulensibus Congregationis Montis Coronæ itinerantibus, siue genuflexis, aut aliàs deuotè Coronam Domini recitantibus, centum dierum Indulgentiam vltra aliàs Indulgentias, iam pro dictis Coronis recitãtibus concessas, de nouo pariter, dicta auctoritate concedimus, & elargimur: Præsentes quoq; ex eo quod in præmissis, quicunque interesse habentes, seú habere prætendentes, præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, vel auditi fuerint, nullo vnquam tempore, quouis quæsito colore; vel ingenio, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seù intentionis Nostræ, alioue quomodolibet, quantumuis magno, & substantiali, ac excogitabili, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in ius, vel controuersiam vocari ad viam, & terminos iuris reduci, seú aduersus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque, quodcunque iuris facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato, vel etiam Motu simili concesso in iudicio, vel extra illud, vti, seù se iuuari posse, neq; sub quibuscunque similium gratiarum reuocationibus, limitationibus, derogationibus, aut alijs contrarijs dispositionibus, etiam per Nos, & Sedẽ prædictam, quibusuis de causis, etiam necessarijs quomodolibet

modolibet faciendis comprehendi, sed ab illis semper exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum, etiam sub Datum posteriori per Maiorem dictorum Eremitarum pro tempore existentem, quandocunque eligenda concessas, semperque validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictisque Eremitis in omnibus, & per omnia perpetuò suffragari, ac ab omnibus illis ad quos spectat, inuiolabiliter, & inconcussè obseruari, sicque, & non alias in præmissis omnibus, & singulis, per quoscunque Iudices, & Commissarios, etiam Causarum Palatij Nostri Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuntios, sublata eis, & cuilibet eorum quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere, irritum quoq; & inane decernimus, si secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Quocircà Dilectis Filijs Nostris, nunc, & pro tempore existentibus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, & Vicecancellario, ac Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seù alios præsentes has nostras litteras, & in eis contenta, quæcunque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dilectorum filiorum Maioris, ac aliorum Superiorum dictæ Congregationis Camaldulensis Montis Coronæ, vel alicuius ex eis fuerint requisiti, solemniter

ter publicantes, eisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant, confirmationem prædictam, ab omnibus, quos illa concernit inuiolabiliter obseruari, ipsosq; Maiorem, & Superiores, ac Religiosos dictæ Congregationis Camaldulensis Montis Coronæ, ac præmissis omnibus, & singulis pacificè frui, & gaudere non permittentes, eos desuper per quoscunq; quomodolibet molestari, contradictores, quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisq; super his habendis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, seruata forma Concilij Tridentini aggrauando, inuocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis; Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui Prædecessoris Nostri, de vna, & Concilij Generalis de duabus Dietis: Dummodò quis, vltra tres Dietas, earundem vigore præsentiũ extra suam Ciuitatem, vel Diœcesim, ad iudicium non trahatur, ac quibusuis alijs Constitutionibus, & Ordinationibus, ac primo dictæ Congregationis etiã iuramento, Confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Priuilegijs quoq; indultis, & literis Apostolicis quibusuis locis, & personis, etiam speciali mentione, & expressione dignis, sub quibucunq; tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis,, irritantibusq; & alijs decretis in genere, vel in specie, etiam Motu

Motu pari quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis, quibusomnibus, & ſingulis, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio aut quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma, ad hoc ſeruanda foret, tenore huiuſmodi, etiam veriores, ac Datum etiam præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, hac vice duntaxat, harnm ſerie, latiſſimè & pleniſſimè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuscunq;. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris. Die 15 Octobris 1669 Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Loco Annuli Piſcatoris.

F. Murolus Secret.

foris. *G.* ab Hinnesdael

PAVLVS
PAPA SECVNDVS
AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

AMbitiosæ cupiditati illorum præcipue qui diuinis, & humanis affectati damnatione postposita, immobilia & pretiosa mobilia Deo dicata, ex quibus Ecclesiæ, Monasteria, & pia loca reguntur illustranturq;, & eorũ Ministri sibi alimoniã vẽdicãt prophanis vsibus applicare, aut cum maximo illorũ ac Diuini cultus detrimẽto exquisitis medijs vsurpare præsumunt, occurrere cupientes. omniũ rerũ & bonorũ Eccl. alienationem omneq; pactum per quod ipsorum dominium trànsfertur, cocessionem, hypothecam locationem, & conductionem vltra triennium, nec non in feudationem & contractum emphyteuticum præterquam in casibus à iure permissis, ac de rebus & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & tunc cum Ecclesiarum euidenti vtilitate ac de fructibus & bonis quæ seruando seruari non possunt. pro instantis temporis exigentia hac perpetuò valitura Constitut. præsenti fieri prohibemus. Prædecessorũ N. Cõstitutionibus, prohibitionibus, & decretis alijs super hoc editis, quæ tenore præsentium innouamus in suo nihilominus robore permansuris. Si quis autem contra huius nostræ prohibitionis seriem, de bonis & rebus eisdem quicquam alienare præsumpserit, alienatio, hypotheca, concessio locatio, conductio, &

infeudatio

infeudatio huiusmodi nullius omnino sint roboris vel momenti. Et tàm qui alienat, quam is qui alienatas res & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat, alienati verò bona Eccl. Monasteriorum locorumq; piorum quorumlibet inconsulto Rom. Pontif. aut contra præsentis Constit. tenorem si Pontificali vel Abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus Eccl. sit penitus interdictus. Et si per sex menses immediate sequentes sub interdicto huiusmodi animo [quod absit] perseuerauerit indurato, lapsis mensibus eisdem, á regimine & administratione suæ Eccl. vel Monastorij cui præsidet in spiritualibus, sit eo ipso suspēsus· Inferiores vero Prælati, Cōmendarij & aliarum Eccl. Rectores, beneficia vel administrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, Præposituris, præpositatibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officijs, Canonicatibus, præbendis, alijsq; Eccl. cum cura, & sine cura secularibus & regularibus beneficijs, quorum res bona alienarunt duntaxat, ipso facto priuati existant, illaq; absque declaratione aliqua vacare censeantur, possintq, per locorum ordinarios, vel alios ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis [illis exceptis quæ propterea priuatæ fuerint] liberè de iure cōferri: nisi alias dispositioni Apostolicæ Sedis sint specialiter aut generaliter reseruata- Nihilominús alienatæ res & bona huiusmodi àd Eccl. Monasteria & loca pia ad quæ ante alienationem huiusmodi pertinebant liberè reuertantur, Nulli ergo &c. Dat. Romæ Anno Incarnat Dñi 1 4 6 8 Kalend Martij.

INDEX
Primæ & Secundæ Partis Constitutionum.

Primꝰ numerus significat paginã, secun:num: marg:

A

Anni

Dubium

Ll Ex cō-

Gubernium

Reus

T

 illorum




MORS ERO

